Lucretius

LUCRETII PHILOSOPHIA

CUM FONTIBUS COMPARATA.

SPECIMEN LITTERARIUM

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FREDERICI WILHELMI BERNARDI VAN BELL,

Theol. Doct. in Fac. Theol. Prof.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA GRONINGANA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI FACULTATIS EXAMINI OFFERT

JAN WOLTJER

GRONINGANUS.

Die XX M. Octobris MDCCCLXXVII, hora II.

GRONINGAE, apud P. NOORDHOFF, 1877.

64201

EUGENIO CAESARI SEGERS

Sacrorum antistiti in coetu Reformatorum Leidensi

AMICITIAE CAUSA

HOC OPUS QUALECUMQUE

SACRUM ESSE VOLUI.

CONTINENTUR.

Si quis huic opusculo multa deesse contendat non me repugnantem habebit; reputet tamen velim omnibus numeris absolutam commentationem non esse postulandam a iuvene, qui sero ad haec studia delatus, maiore industria et intentione temporis defectum compensare coactus fuerit. Tenuit me argumentum, quod tam ad philosophiam quam ad veteres litteras pertineret: quodsi benevoli et periti iudices existimabunt me magnis ausis non plane excidisse, admodum gaudebo. Me quidem iuvabit quod si minus aliis, mihi certe ipsi elaborata hac dissertatione profuerim.

Non possum, viri clarissimi, quin vobis studiorum meorum fautoribus et rectoribus ex intimo corde gratias agam, cum benevolentia vestra et eruditione tam privatim quam publice per hos quinque annos frui mihi licuerit. Imprimis autem, clarissime Francken multa tibi debeo, qui perpetuo et praecipue in hoc opere qualicumque conscribendo, optimus mihi fuisti Mentor. Laudes tuas hic extollere non est in animo, neque tales quaeris gratias: hoc tamen opto fore ut Ultraiectini nostri commilitones non minus diu eruditione et humanitate tua gaudeant, quam nos, quos tam peritum desiderantes ducem relinquis.

Et tibi gratias lubenter ago, clarissime Moltzer, cum iam ante quam in academiae civium numerum receptus fui, benevolentiam tuam expertus sim, quam deinde frustra nunquam in-

vocavi. Grata mihi semper erit temporis, quod te duce, Belgicis impendi litteris, memoria.

Quod si in parvo hoc libello non desunt philosophiae studii et amoris vestigia, tibi debetur, nobilissime et clarissime v. d. Wijck, qui primus tanto philosophiae ardore me imbuisti, ut plus otii quam adhuc studia mea concedunt, huic disciplinae aliquando me impendere posse gestiam.

Tibi, doctissime et clarissime Hecker gratum refero si quid in historia sapio: tua sola sollertia factum est, ut ingenium meum, rerum gestarum studio parum aptum, quantum historiae cognitio afferat et voluptatis et utilitatis, perspexerit.

Neque tuam erga me benevolentiam praetermitto clarissime Valeton, qui ante hos septem annos primus graece docuisti me, itaque partim fundamentum iecisti posteriorum meorum studiorum.

Tibi, amice Segers (hoc pulcro nomine te compellare mihi liceat), qui primus latine me docens cum alia studia iam partim absolvissem novam viam inire mihi persuasisti, qui ad multa alia beneficia hoc addidisti quod peregrinantem me Lugduni Batavorum grato hospitio accepisti, ita ut domi tuae maximam huius libelli partem conscripserim, tibi hoc opusculum sacrum esse volo, ne memoria nostrae consuetudinis oblitteretur.

Vos omnes credite me semper quae a vobis bona audivi grata memoria reconditurum esse.

Atque vos, amici omnes, quibuscum variis amicitiae vinculis coniunctus eram, valete.

PROOEMIUM.

Nullius philosophi doctrina magis Romae floruit quam Epicuri, cuius discipuli sectatoresque, „multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt" [1]; ipsa quoque „multitudo ad eandem potissimum se contulit disciplinam". Haec Ciceronis dicta Volumina Herculanensia huiusce saeculi initio in diem prodita confirmant, cum pauca illa fragmenta, quae ex ipsa antiquitate aetatem tulerunt, non solum magna ex parte e discipulorum libris, verum etiam ex ipsius Epicuri constent scriptis. Idem testantur Epicureorum Ciceronis aequalium nomina, quorum notissima sunt: T. Albutius [2], C. Velleius [3], C. Catius [4], C. Cassius, C. Vibius Pansa [5], L. Piso, Statilius, L. Manlius Torquatus [6]; inter antiquiores autem Romanos scriptores Ennius poeta, etsi in eorum numerum non cadit, tamen cum et interpretatus et secutus sit praeter ceteros Euhemerum [7] eoque vulgi religioni se opposuerit, iis viam stravit, quare etiam toties eius solius inter poetas Romanos versus laudat Lucretius addito nomine „noster", etiamsi dictis eius non omnibus fidem habet [8]. Primus Epicureus scriptor fuit

---

1) Cic. Tusc. IV. 3, 7.
2) Cic. Brut. 35, 131 „perfectus Epicureus".
3) de Nat. Deor. I. 6, 15 cett.
4) ad Fam. XV. 16, 19. Horat. Sat. II. 4. Quint. Inst. Orat X. 1, 123.
5) ad Fam. VII. 12.
6) Madv. de Finib. pag. 5.
7) de Nat. deor. I. 41, 119.
8) Lucr. I. 120.

Amafinius, qui physica scripsit [1]), quod idem Rabirius fecisse videtur. Catius Insuber, aequalis Ciceronis, „levis quidem sed non iniucundus tamen auctor" quattuor libros scripsit de rerum natura et de summo bono. Praeter hos magna erat multitudo eorum, qui cum Horatio dicebant [2]):

„Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
„nullius addictus iurare in verba magistri,
„quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes",

et tamen Epicuri doctrinam cum maxime fovebant ut ipse Horatius [3]), Maecenas et antea Ciceronis familiaris T. Pomponius Atticus [4]) et L. Saufeius [5]).

Causam investiganti, cur tot huius scholae discipuli floruerint Romae, haec fere satisfacient. Romanorum enim ingenium ab antiquis temporibus abhorrebat a philosophia [6]); rei militari, reipublicae bene constituendae, iuri civili et virtutibus domesticis excolendis solis dederunt operam, quo factum est, ut vulgaris vitae consuetudo, pietas erga maiores, ipsa religio, cum omnibus reipublicae institutionibus coniuncta et Graecorum *φαντασία* prorsus destituta, clarorum etiam et eruditorum hominum animos ita obstringerent, ut vix ad liberam rerum contemplationem se extollere auderent. Sic Cato ille censorius censuit trium illorum Graecorum philosophorum legationem dimittendam esse, „quoniam illo viro (Carneade) argumentante quid veri esset haud „facile discerni posset" [7]). Cum autem Romanorum imperium fere totum orbem terrarum complecteretur et divitiis, praeter modum auctis, luxuria et voluptas antiquam religionem debili-

---

1) Acad. I. 3, 6.

2) Epist. I. 1, 13.

3) Epist. I. 4, 15. Sat. I. 5, 101. 6, 129.

4) Cic. de Fin. V, 1, 3. Legg. I. 7, 21.

5) Nepos. Att. 12. Cic. ad Att. IV. 6, 8.

6) Cicero tamen aliud sentire videtur scribens: „sapientiae studium vetus id quidem in nostris". Tusc. IV. 3. cf. I. 1. „Sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora". de Orat. I. 4, 15. Huic opinioni repugnare videtur illa Tusc. I. 3, 6: „Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem".

7) Plin. N. H. VII. 30.

tassent, Graecorum litterae et philosophia irruperunt nobiliumque vitam ornare coeperunt. Sed Platonis et Aristotelis philosophia minus apta erat romano ingenio propter difficultatem et a vitae usu alienam rationem.

Ipsa Graecorum mens grandium cogitationum non amplius capax, iam diu ad corporum solam contemplationem se contulerat: minus etiam romanum ingenium in Platonis abstrusis notionibus et Aristotelis argumentationibus versari et vivere poterat, etsi nonnulli viri eruditi eos philosophos ob eruditionis speciem laudabant et quosdam faciliores eorum libros legebant. Epicuri autem doctrina magis cum Romanorum huiusce temporis natura et desideriis conveniebat. Cuius rei Cicero, semper Epicureis infestus, causam hanc esse memorat: „et quod quaeritur saepe, cur tam multi sint Epicurei, sunt aliae quoque causae, sed multitudinem haec maxime allicit, quod ita putant dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem" [1]) et alibi: „sive quod erat (Epicurea disciplina) cognitu perfacilis, sive quod invitabantur (multitudo) illecebris blandis voluptatis" [2]), quas causas, imprimis secundam, plures etiam nostri temporis historiae philosophiae scriptores, eum secuti, afferunt. Sed tamen qui vel Epicuri vel Lucretii, vel aliorum Epicureorum scripta legerit [3]), vix iis assentiri poterit. Nam nullo modo aliorum doctrina haec „Graecorum obscura reperta" [4]) sunt faciliora. Praecipua causa, cur Cicero ita censuerit, fortasse haec fuit, quod Epicurus rhetorum artes contemnebat neque parti formali quae dicitur logices, quibus solis Tullius excelluit, dedit operam [5]). Revera difficultates quas Platonis et Aristotelis scripta praebebant, omnes Romani et ipsorum Graecorum non pauci effugerunt: sed animadvertendum est Academicorum et Peripateticorum libros imprimis difficultatibus, ex artis vocabulis et argutiis

---

1) de Finib. I. 7, 25.

2) Tusc. IV. 3, 6.

3) Tusc. II. 3, confessus est se Epicureorum Amafinii et Rabirii libros non inspexisse, quos tamen vituperat.

4) Lucr. I. 136.

5) Brut. 35, 131. Tusc. II. 3, 7, 8. de Fin. I. 7, 22, 26. Acad. post. I. 2.

dialecticae artis natis, illorum scripta superare. Non ad systema Epicuri sed ad formam, qua exprimitur, Ciceronis verba referenda sunt. Si propter ipsius systematis facilitatem multitudo ad Epicuri doctrinam se contulit, cur ipse Lucretius loquitur de „obscuris repertis" „obscura de re" (IV. 8), quî contendere potest: „volgus abhorret ab hac"? (IV. 20). — Argumentum e voluptate sumptum quoque inane est. De ipso Epicuro Cicero fatetur non negari posse eum et bonum virum et comem et humanum fuisse [1]) et postea addidit: „ipse bonus vir fuit et multi Epicurei et fuerunt et hodie sunt et in amicitiis fideles et in omni vita constantes et graves nec voluptate sed officio consilia moderantes" [2]): hanc laudem autem his verbis minuit: „mihi videntur facere melius quam dicere". Sed tamen sic quoque errat: neque enim Epicuri doctrina libidines et luxuriam commendare videtur: *οὐ γὰρ πότοι*, inquit, *καὶ κῶμοι συνείροντες οὐδ' ἀπολαύσεις παίδων καὶ γυναικῶν οὐδ' ἰχθύων καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα φέρει πολυτελὴς τράπεζα, τὸν ἡδὺν γεννᾷ βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμὸς καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς καὶ τὰς δόξας ἐξελαύνων, ἀφ' ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος* [3]). In Lucretii carmine neque luxuria neque lascivia defenduntur, neque in aliorum quae novimus scriptis. Quodsi tamen negare nolumus inter Epicureos fortasse plures fuisse libidini indulgentes quam inter Stoicos, huius rei haec est causa una, quod Stoici Romae imprimis inter viros excultos inveniebantur, cum Epicurei homines omnium essent ordinum. Sed pleraque, quae de dissolutis Epicureorum moribus dicuntur, ad inanes redeunt rumores: quin etiam sunt qui eorum mores laudent, ut Origenes [4]), qui dicit adulterum inter eos non inveniri, quod optime congruit cum ipsius magistri verbis: „*γυναικί τ' οὐ μιγήσεσθαι τὸν σοφὸν ᾗ οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν* [5]). Saepe confundebantur cum Cyrenaicis [6]) et Cynicis: praeterea vox

---

1) de Fin. II. 15, 49.
2) de Fin. II. 25, 81.
3) D. L. X. 132.
4) Contra Celsum. VII. p. 375.
5) D. L. X. 26, 118.
6) Tusc. II. 6, 15. Diog. L. II. 8.

voluptas in errores multos, ut ipsum Ciceronem, induxit [1], cui voci in malam partem adhibitae, activam, ut ita dicam, significationem adscribebant, quamquam animi tantummodo tranquillitatis (ἀταραξίας) significationem habet: „ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος εἶναι, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονὰς καὶ τὰς ἐν ἀπολαύσει κειμένας λέγομεν, ὥς τινες ἀγνοοῦντες καὶ οὐχ ὁμολογοῦντες ἢ κακῶς ἐκδεχόμενοι νομίζουσιν, ἀλλὰ τὸ μήτ' ἀλγεῖν κατὰ σῶμα μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν". D. L. X. 131.

Denique cum vehemens esset certamen inter sectatores utriusque scholae, magna pars huius calumniae Stoicis adscribenda est, qui per fas et nefas adversarios suos persequebantur [2].

Veriores causas, si quid videmus, afferre licet has. Epicuri doctrina in rebus visis versabatur, eius philosophia imprimis naturae cognitionem qualemcunque, veras rerum causas, docebat, quod cum Romanorum indole, notionum rerum a sensibus seiunctarum inquisitionem adspernante, optime congruebat. „Cui bono" semper rogabat Romanus vir: quin etiam Cicero, quamquam per se scientiam voluptatem afferre dicebat [3], tamen per omnes suas philosophicas exercitationes certum finem ante oculos habebat; quo etiam factum est, ut fere omnes Epicurei Romani, inde ab Amafinio usque ad Lucretium, physicam Epicuri doctrinam potissimum tractarent. Minime recte ergo nonnulli [4]) affirmare videntur physicam doctrinam a Romano ingenio prorsus fuisse alienam: Vergilii verba: „felix qui potuit rerum cognoscere causas" eorum opinionem reddit, qui agriculturae tanto studio incumbebant eoque ipso ad naturae rationis investigationem ducebantur, etiamsi religionis vincula animos a libera investigatione retinebant. Praeterea forma vel elocutio Epicureorum scriptorum multos alliciebat: haec,

---

[1]) Tusc. III. 20, 49. V. 26 et passim.

[2]) Sic Diotimus, Stoicus philosophus, D. L. X. 3 et alii 4. Recte Schoemann, de Nat. deor. pag. 3: „Wer nur einigermaassen mit der Geschichte der alten Philosophie und der Kämpfe der verschiedenen Schulen bekannt ist, der weiss auch, dass hier nicht immer mit ganz redlichen Waffen gestritten wurde, sondern vielfältig auch Verdrehung, Entstellung und unberechtigte Consequenzmacherei aus den Sätzen der Gegner vorkam."

[3]) de Fin. I. 7.

[4]) Ritter et Preller: Hist. philos. Lange, Gesch. des Material.

quae „de rerum natura" scripserunt, non artis vocabulis vulgo ignotis tradiderunt, sed suo sermone quotidiano.

Ante omnes porro causas haec memoranda est, quod Epicurus eiusque discipuli pollicebantur se physica doctrina animos a deorum mortisque metu liberaturos esse. „Omnium autem rerum natura cognita levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles existunt saepe formidines; denique etiam morati melius erimus, quum didicerimus, quid natura desideret" [1]). Hoc plerosque alliciebat: nam gravis opprimebat animos superstitio [2]) et Romae idem factum est, quod in Graecia atque ubicunque veteres mores et religio et cultus potentiam suam in hominum animos amiserunt et pugnant cum aliis novis opinionibus et doctrinis philosophorum: vulgus turpissima superstitione vincitur, cum in duas partes ceteri discedunt cives, quarum altera in officiis servandis et sanctitate tranquillitatem quaerit animi, ut Stoici, altera vero plane contemnit omnem religionem cultumque deorum prorsus neglegit, ut Epicurei [3]). Praeterea Romae imprimis, ubi religio cum tota vita arctissime erat coniuncta, hoc onus gravissimum abicere cupiebant, quod tam diu omnium animos oppresserat. Lucretius ipse hanc causam affert, cur Epicurum tanta pietate colat:

Humana ante oculos foede cum vita iaceret
in terris oppressa gravi sub religione,
quae caput a caeli regionibus ostendebat
horribili super aspectu mortalibus instans,
primum Graius homo mortalis tendere contra
est oculos ausus, primusque obsistere contra;
quem neque fana deum nec fulmina nec minitanti
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
inritat animi virtutem, effringere ut arta
naturae primus portarum claustra cupiret.

---

[1]) Cic. de Fin. I. 19, 63.

[2]) Cf. Horat. Sat. I. 5, 97 seqq. 8.

[3]) Apud Iudaeos Pharisaei et Sadducaei. Bayle, dictionn. hist. et crit. 5ième ed. Amst. 1740, sub voce Epicurus: „Les Stoiciens qu'on pourrait nommer les pharisiens du paganisme."

— — — quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria coelo. (I. 62 seqq.).

Gaudium exsultans servi fugitivi, qui tamen libertatem, qua nunc fruitur, perpetuo debet defendere, eiusque odium in immitem crudelemque dominum ex hisce versibus et toto opere audiuntur. — Si denique addimus Epicureorum mutuam benevolentiam, pietatem ergo scholae principem, animum ab honoribus et negotiis publicis aversum, non difficile erit intellectu, cur tot Romani huius aevi doctrinae se tradiderint, quae virtutibus pariter atque vitiis populi occurreret.

Omnes autem superabat T. Lucretius Carus, cuius carminis libri sex de Rerum natura inter clarissimos numerantur fontes Epicureae doctrinae qui aetatem tulerunt. Omnes docti hodie quasi ex concentu poesin Epicuri laudant; veterum in numero Cicero in loco pervulgato: „Lucretii poemata ut scribis, ita sunt; multis luminibus ingenii, non multae tamen artis" [1]) et

[1]) ad Quint. fr. II. 9. Emendationem secuti sumus Bergkii (in Programmate Academiae Marburgensis, anni 1846). Codices praebent: „Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt: non multis luminibus ingenii, multae tamen artis" Etsi Bergkii emendationem secuti sumus, tamen eius argumenta non possumus probare omnia, minime autem illud, quod putat in Hieronymi verbis, sub anno 1923 notantis: „Titus Lucretius poeta nascitur, postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis XLIIII," illum Ciceronem esse Marcum. Rem potius hoc modo explicare velimus: Quintus, Marci frater, Lucretiana poemata emendavit ediditque. Ex Marci enim Ciceronis scriptis satis dilucide apparet, eum vix aut nunquam Lucretii opus legisse, aut si legit, ne imbutum quidem esse iis quae legerit. An fieri potuit, ut scriberet de simulacris: „quid, quod earum rerum, quae numquam omnino fuerunt neque esse potuerunt, ut Scyllae, ut Chimaerae? ... quid, quod, simulac mihi collibitum est, praesto est imago? quid, quod etiam ad dormientem veniunt invocatae?" (de nat. deor. I, § 108) si legisset: Lucret IV, 736 seqq., 761 seqq., 780 seqq., ubi hae difficultates ex Epicuri mente explicantur? Et tamen libri de deorum natura in lucem prodierunt decem annos post Lucretii carmina. Si haec carmina edidit Marcus, quî tum illa praeterire potuit?

Vir doctissimus Martha (Le poème de Lucrèce pag. 351) nonnullos profert locos Tullianos, quos confert cum Lucretianis dictis, ut probet, Ciceronem poetae nostro plus quam modicam operam dedisse: at similitudo horum locorum partim facile explicari potest eo, quod uterque Epicuri scripta legit, partim tantum est fortuita: denique monendum est in Romanorum illius aetatis societate, ut in quovis virorum doctorum convictu, multas sententias, multa ἔπη πτερόεντα versata esse, cum in

Ovidius: „Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti, exitio terras cum dabit una dies" [1]) et Vergilius, cuius iudicium satis apparet e multitudine locorum ab eo e poeta nostro sumptorum [2]). Etsi in confesso est multas magnasque partes Lucretiani carminis languidas esse et fere prosae orationi similes, tamen mirum est eruditissimi et bonarum artium peritissimi Lessingii iudicium a ceterorum ita discrepare, ut haec verba scripserit: „Lucrez und seines Gleichen sind Versmacher aber keine Dichter. Ich leugne nicht, dass man ein System in ein Silbenmaass, oder auch in Reime bringen könne, sondern ich leugne dass dieses in ein

Stoicorum et Academicorum tum in Epicureorum familiis, quae cuique viro docto essent nota et pervulgata. De Epicuro Lucretius dixit: „Atque omne immensum peragravit mente animoque" (I, 74), Cicero autem: „qui infinitas regiones, qua nulla esset extremitas, mente peragravisset; (de Fin. II, 31); Lucretius dixit: „Nam iam saepe homines patriam carosque parentes prodiderunt, vitare acherusia templa petentes" III, 85, Cicero autem: „Mortis metu .... multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam perdiderunt," (de Fin. I, 15). Sed, ne plura laudemus, hi loci non tam sunt congruentes, quin explicari possint e communi Epicuri scriptorum usu. Martha porro laudat: „Viam monstravit" (VI, 27). „Omnes monstret vias" (de Fin. I, 14); „Cura semota metuque" II, 19, „Ut sine cura metuque vivamus" (de Fin. I, 15). Sed quis non videt horum locorum parvam et fortuitam similitudinem non posse probare Ciceronem eos e Lucretii carminibus hausisse?

Nihil est, quod nobis persuadet, Ciceronem Lucretii opus accurate legisse. Quod si ita est, ille Cicero, quem Hieronymus, e Suetonio fortasse, nomine indicat, est Quintus frater; quod optime convenit cum epistolae verbis supra laudatis. Quintus prior scripsit Marco, eius iudicium quaerens de Lucretii carminibus, cum ipse opinaretur ea magni poetae ingenio digna esse. Marcus, qui extremis tantum labris, ut ita dicam, ea gustaverat, et mox viderat nexum partium in hoc opere debiliorem esse et laxum, ei respondet paucis verbis: „Lucretii poemata, ut scribis ita sunt: multis luminibus ingenii, non multae tamen artis." Nam multa ingenii lumina in iis esse, satis apparebat: totum opus tamen, imprimis collocatio sive dispositio non eiusmodi erant in opere nondum perfecto, quae Ciceronis praeceptis satisfacere possent: et in iis praeceptis tamen observandis cum maxime artem posuit. Wesenbergii lectionem: „multis luminibus ingenii, multae etiam artis", probare non possumus. Ex Ciceronis mente multa ars Lucretii carminibus tribui non potest.

[1]) Amor., I, 15, 23.

[2]) Gellius, I, 21: „Non verba autem sola sed versus prope totos et locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse Vergilium videmus." Cf. Munroi editionem, qui multos affert eiusmodi locos ad III, 451. Imprimis autem conferendus est Macrobii saturnaliorum liber VI, ubi invenies sexcentos locos, ut ita dicam, quos Vergilius secutus est. Ludovicus Ianus autem in notis locos Vergilianos adscripsit. Hunc fontem Munrous non memorat, ni fallor.

Silbenmaass oder in Reime gebrachte System ein Gedicht sein werde" [1]).

De meritis autem Lucretii in philosophia prorsus dissentiunt recentiores, qui hac de re disserebant, docti. Cum Eichstaedtius [2]) affirmet Lucretii carmen nihil aliud esse quam Epicuri doctrinam versibus redditam, Ritterus [3]) contra contendit multa Lucretii propria esse, quibus se probet philosophum neque tantum Graeci philosophi interpretem esse. Hunc tamen Zellerus refellere conatur [4]), cui rursus Langius [5]) non potest assentiri etiamsi Bernhardii [6]) opinionem minime laudat censentis: „Epikur und sein Anhang gaben nichts als die Grundliniën einer Naturphilosophie." . . . Lucretius unternahm nun mit Kraft und Intelligenz dieses System der mechanischen Natur auszubauen, doch nicht um der Wissenschaft zu dienen, sondern um das Recht der persönlichen Freiheit unabhängig van religiöser Autorität zu retten. Daher sucht er den menschen durch Einsicht in den Urgrund und das Wesen der Dinge von aller Tradition, von Götterglauben und Todesfurcht zu befreien und auf eigene Füsse zu stellen," quae verba Langio videntur nimium laudis Lucretio adscribere et Epicuri merita minuere. — Sed haec iam satis erunt ut appareat non temere nos putare in tanta eruditissimorum hominum iudiciorum discrepantia, operae esse praemium investigare, quae sint Lucretii in philosophia merita, num Epicurum tantum interpretatus sit, an aliis quoque philosophorum scriptis studuerit et sua reperta inseruerit [7]).

---

[1]) Lessing's sämmtl. Schr. herausgeg. von Lachm. und Maltzahn, vol. V, p. 7.

[2]) Cf. Bernh. Grundr. der röm. Litter., p. 532.

[3]) Geschichte der Philosophie, vol, IV, pag. 89.

[4]) Zeller, die Philosophie der Griechen III, 1, 2e Aufl., S 499.

[5]) Friedr. Alb. Lange, Gesch. des Mater. 3e Aufl., pag. 100.

[6]) Grundriss l. l., edit. 5, 1872. Langius aliam sub oculis habuisse editionem videtur.

[7]) Versuum numeros sequor Lachmannianos. Epicuri doctrinam hausimus ex epistolis eius apud Diog. Laert. libr. X (editio Cobeti) et Voll. Hercul. Neap. edit. priore et altera collectione, e Sexto Empirico, Stobaeo, Plutarcho aliisque Graecis, e scriptis Ciceronis de Finibus (ed. Madvigius) de Natura deorum (edidit Schoemannius) aliisque, quae passim laudabimus.

CAPUT PRIMUM.

DE ATOMIS.

(Lucr. lib. I).

Quoniam in se est absolutum Lucretii opus, ipsius rerum tractandarum ordo servandus esse nobis visus est: exponemus igitur doctrinam 1° de atomis, 2° de mundi ex atomis ortu, 3° de animo, 4° de simulacris et logica, 5° de meteoris et 6° de iis naturae phaenomenis, quae in libro sexto tractantur, deinde moralem eius doctrinam, per totum opus dispersam, cum Epicuri ethice comparabimus, quo facto de nexu omnium placitorum, de poetae et philosophi meritis in ultima libri parte loquemur. Omnibus, quae ex Epicuri scriptis colligere potuimus adiectis locis quousque Lucretii cum Graeci philosophi doctrina congruat, patebit: ubi inter se differunt amplius res tractanda erit.

Hanc rationem autem viamque in locis laudandis secuti sumus. Ubi ex ipsius Epicuri fragmentis testimonium afferre non potuimus, ad Democritum confugimus, quem, ut plures veterum scriptorum et ipsa utriusque philosophi fragmenta testantur [1]), Epicurus secutus est. Leucippus autem et Democritus unius eiusdemque philosophiae auctores esse videntur, quamobrem utrumque, tamquam Epicuri exemplar, laudavimus. Quoniam porro constat, et in sequentibus demonstrabitur, Lucretium illos veteres philosophos non legisse, nobis licuit, locos ex eorum scriptis sumptos, tamquam a poeta ex Epicuri scriptis collectos, laudare. Similem denique rationem sequi in Aristotele laudando licere nobis visum

[1]) Merito D. L. X, 4, ei obicitur quod *τὰ Δημοκρίτου περὶ τῶν ἀτόμων ... ὡς ἴδια λέγει.*

est. Luce enim est clarius Epicurum, etsi se ullum auctorem secutum esse negavit[1]) et Aristotelem *ἄσωτον καταφαγόντα τὴν πατρῴαν οὐσίαν στρατεύεσθαι καὶ φαρμακοπωλεῖν* dixit[2]), sibi sua bona assumsisse, ubi ea inveniret, ut hoc adagio utar. Et cum nusquam Lucretius Aristotelis mentionem fecerit et e pluribus indiciis appareat eum Stagiritae operibus nullam operam dedisse, cum ab eius ingenio prorsus essent aliena, eiusmodi loci quoque, quos ex Aristotelis scriptis ut cum Lucretii doctrina conferantur laudamus, nobis a poeta ex noto et celebri Epicuri fonte hausti esse videntur. Attamen horum locorum numerus est minimus. Plerique loci quos ex Aristotele laudamus, Democriti et Leucippi placita referunt.

Epicurus in prima parte operis *περὶ φύσεως*, ut in epistolis, nonnulla praemisit, quae ad canonicam sive logicam doctrinam pertinent: de verborum vera significatione, ne in ambiguitatem incidamus, et de criteriis ut, quid verum sit, investigare possimus. Quoniam enim in sequente parte operis de *ἀδήλοις* dicturus erat, necesse ei visum est primum dicere quasi fundamento opus esse, quo omnia quae quaerantur, de quibus ambigamus, quae opinemur, referri possint[3]). Hoc fundamentum ei est sensuum auctoritas. Quomodo autem haec fundamentum esse possit post doctrinam de simulacris ostendit; itaque, quoniam tota eius philosophia in physica doctrina nititur, quasi in circulum circumire cogitur, fundamentum toti doctrinae subiciens id, quod ipsa demum doctrina demonstrari potest verum esse fundamentum. Lucretius, qui in solam physicae doctrinam incubuit, hanc primam partem omisit et quae de canonica docenda erant in librum quartum inseruit, quo rursus factum est, ut multa in tribus prioribus libris scripta quarto demum libro perlecto bene intellegi possint. Etiam si tempus ei datum esset opus retractandi, fortasse tamen hoc vitium non emendasset, quia cum tota operis ratione ita est coniunctum, ut vix emendari possit.

---

[1]) D. L. X, 13.
[2]) D. L. X, 8.
[3]) D. L. X, 38.

Principium igitur, quod quasi fundamentum toti physicae doctrinae subicit Lucretius, est hoc: „nullam rem e nilo gigni divinitus unquam" [1], vel: „nil posse creari de nilo" [2], quam sententiam Epicurus [3] a Democrito [4] sumpsit: addidit poeta illud *divinitus*, quod haec est causa hominum terroris, quem tela verae naturae rationis discutere debeant, quod diis ea tribuunt, quae ipsa efficit natura; addidit praeterea *unquam*, ut quam absolutissime poneret principium negaretque, non solum deos nunc regere mundum, verum etiam unquam materiem ab iis e nihilo creatam esse. Continet igitur haec sententia apud Lucretium plus quam apud eius auctores, sed hanc ob causam minus est vera.

Epicurus inter *ἄδηλα* illam sententiam recenset i. e. inter ea, quae non sub sensus cadunt quaeque hanc ob rem probatione indigent [5] et ideo eam probare conatur: *πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἄν σπερμάτων γε οὐθὲν προςδεόμενον* [6], hoc est: si ex eo, quod non est, fit quod est, non est causa rebus gignundis, sed si non est causa rebus gignundis, nihil impedit, quominus omnia ex omnibus fiant, quod quoniam non fit, certas causas habent res, e quibus oriuntur neque e nihilo oriri possunt.

Iisdem verbis fere Lucretius: nam si de nilo fierent, „ex omnibu' rebus omne genus nasci posset, nil semine egeret" [7]; sed quoniam videmus „certis in rebus inesse secretam (i. e. suis finibus circumscriptam) facultatem" [8], qua suum quidque profert; — omnia suo tempore crescere neque „alienis partibus anni," — omnia paulatim crescere neque subitaneo ortu exsistere [9]; — animalibus cibo opus esse ad vitam servandam [10]; —

---

1) I, 150.

2) I, 156.

3) D. L, X, 38: *οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος.*

4) D. L, IX, 44: *μηδέν τ' ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι.*

5) D. L., X. 39: *ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι.*

6) D. L., X. 39.

7) I. 159, 60.

7) Vs. 173.

8) Vs. 174—184.

9) Vs. 184—192.

10) Vs. 192—198.

certum modum rebus constitutum esse, quem transgredi non possint [1]), — nostro quaeque labore multo meliora fieri posse [2]), quae omnia docent suam causam habere quaecumque fiant, iam constare videtur, nihil e nihilo fieri posse. Illustravit igitur multis exemplis poeta thesin, quam Epicurus posuit, neque tamen probavit suum principium. Nam cum probarit omnia, quae fiant, causam habere unde fiant, neque temere fieri, non refellit eos, qui divinitus res fieri credebant, i. e. qui rerum ortui dei voluntatem causam tribuunt et hanc ob rem omnem temeritatem casumque excludunt. Stoici, adversus quos Lucretius hic fortasse pugnam facit, deum appellabant „προνοητικὸν κόσμου τε καὶ τῶν ἐν κόσμῳ . . . δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων . . . . δι ὃν τὰ πάντα." (Diog. L. VII, 147). Qui ita sentiunt sane poetae concedunt omnia e semine quodam crescere et suam habere causam; quin ipsi καθ' εἱμαρμένην δέ φασι τὰ πάντα γίγνεσθαι (l.l. 149), cum Epicurei, poeta quoque, saepius „foedera naturai" perrumpant, sed *primam* causam huius mundi εὐταξίας putant illi deum esse. Quí autem adversus hos sapiens et doctus vir hanc εὐταξίαν afferre potest, ut probet „nullam rem e nilo gigni divinitus unquam"? Porro perspicuitatem argumentationis obscuravit Lucretius haec duo confundens: omnia quae fiant causam habere et omnia quae fiant ex atomis exsistere: atomis hic nihil est loci. Nam in fundamento totius doctrinae nondum adhiberi potest id, cuius natura et veritas ipsa demum doctrina demonstratur. Sed etiam si hoc vitium logices artis ei ignoscere volumus, tamen manebit hoc, quod dicit: materies est aeterna, nam omnia constant ex atomis, etsi postea rursus ratiocinabitur: atomi sunt immutabiles, nam materies est aeterna. Aut hic debuerat demonstrare, materiem aeternam esse sine atomorum auxilio, aut postea atomos esse aeternas absque prioris illius sententiae ope.

Si autem nihil e nihilo fit etiam nihil ad nihil redigitur.

„Huc accedit uti quicque in sua corpora rursum
dissoluat natura neque ad nilum interemat res.

---

[1]) Vs. —208.

[2]) Vs. —214.

nam siquid mortale e cunctis partibus esset,
ex oculis res quaeque repente erepta periret [1]).

Epicurus idem ait [2]): καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντ' ἂν ἀπωλώλει τὰ πράγματα, οὐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελύετο."

Hoc modo autem poeta explicat hanc sententiam: si res ad nihil redigi possent, omnia, quae sunt, ultro, nulla vi illata, solverentur [3]); praeterea nihil remaneret ad restituendas res,

„omnia enim debet, mortali corpore quae sunt,
infinita aetas consumpse ante acta diesque" [4]).

Quod cum non factum sit, inde sequitur corpora esse, immortali praedita natura [5]); denique nisi „materies aeterna teneret, tactus satis esset leti causa", quod tamen non fit, nam omnes res „discidio redeunt in corpora materiai" [6]); postremo ipsi imbres „ubi eos pater aether in gremium matris terrai praecipitavit" perire quidem videntur, sed tamen, cum plantas et animalia recreent, probant non penitus perire quaecumque videntur, „quando alid ex alio reficit natura, nec ullam rem gigni patitur nisi morte adiuta aliena" [7]). Haec explicatio quoque laborat eodem vitio quo praecedens: atomorum enim doctrina, quae inde a versu 483 incipit, hic iam argumentationi est inserta; quo etiam factum est, ut difficilia sint distinctu argumenta vs. 219—224 et 239—247 [8]). — Ex hisce principiis autem necesse est sequatur, universum omnino quantitate non mutari, neque demi-

---

1) Vs. 215—218.

2) D. L., X. 39.

3) Vs. 224.

4) Vs. 232.

5) Vs. 236.

6) Vs. 249.

7) Vs. 264 cf. Arist. metaph. II, 2, p. 994 ἡ θατέρου φθόρα θατέρου ἐστὶ γένεσις, quae verba fortasse ab Epicuro ex Aristotele, cuius placita saepe suae doctrinae accomodavit, sunt sumpta.

8) Si modo inest discrimen, quod Gassendus quidem vult, ego non video; vs. 219 seqq., ait, nulla vi opus esse ad res ad nilum interemendas, nisi materies aeterna esset: quoniam non in partes minimas dissolvi deberent; vs. 239 eandem vim omnes res posse conficere, nisi materies aeterna teneret; nam non opus esset vi quadam ad atomorum contextum solvendum: tactus iam omnes res interemeret.

nui neque augeri: τὸ πᾶν ἄπειρον εἶναι καὶ ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον, καὶ μήτ' αὐξόμενον μήτε μειούμενον [1]), et alibi: καὶ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἀεὶ τοιοῦτον ἦν οἷον νῦν ἐστι καὶ ἀεὶ τοιοῦτον ἔσται [2]). Lucretius idem dicit, non tamen in hoc nexu, sed II. 294—307 demum. Mirum tamen est utrumque conari hanc sententiam alio argumento probare, nempe hoc: nihil esse in quod mutari possit universum neque quod in id ingressum mutationem efficiat. D. L. X, 39: „οὐθὲν γάρ ἐστιν εἰς ὃ μεταβάλλει. παρὰ γὰρ τὸ πᾶν οὐθέν ἐστιν ὃ ἂν εἰςελθὸν εἰς αὐτὸ τὴν μεταβολὴν ποιήσαιτο. Lucr. II: 305: „neque in omme seorsum unde coorta queat nova vis inrumpere et naturam rerum mutare et vertere motus." Mirum dico: nam τὸ πᾶν, τὸ ὅλον, τῶν ὅλων φύσις, τῶν ὄντων φύσις, apud Lucr. *omne*, *summa tota*, *summa rerum*, *summa tota*, *summai totius summa*, *rerum natura*, nihil aliud est quam tota quae exstat multitudo atomorum et infinitum spatium, per quod atomi moventur: ab Epicureis hoc universum a mundo discernitur, in hoc secutis Xenophanem, Diogenem plerosque alios. Hic mundus est totum quoddam, quod suas habet partes suamque formam [3]), et, secundum Epicureos, ut ortus est, sic quoque peribit: atomi eius huc illuc discedent; in aliud igitur mutabitur et mundus ipse, qua talis, non amplius erit; nam „quodcumque suis mutatum finibus exit continuo hoc mors est illius quod fuit ante" [4]). Haec autem mors, sive mutatio praesentis formae, eiusmodi rei tantum contingere potest, quae suam habet formam et quasi membra, quod tamen de universo non potest praedicari. At mihi videtur in locis laudatis de universo tanquam de κόσμῳ quodam sermo esse, nam ponitur id certam definitamque formam habere: τοιοῦτος vs. 294, libr. II. „nec stipata magis fuit umquam materiai copia nec porro maioribus intervallis." Porro, quî mutari posset, nisi certam haberet formam? At ponitur universum mutari posse, si modo extra id esset quoddam, quod in id irrumpens, eius formam mutaret. — Illud ergo τοιοῦτον apud D. L.

1) Plut. adv. Col. XIII, 3.
2) D. L. X, 39.
3) Cf. V. 534 seqq.
4) III: 517.

ad praesentem universi statum referri non potest, nam hic non est immutabilis vel potius non *est* praesens universi status. Heracliti *πάντα ῥεῖ* optime in Epicuri universum adhiberi potest: [1]) et omnes qualitates, quae universo, quale est nunc et fuit et erit, possunt tribui, sunt infinitus numerus et motus et immutabilitas atomorum. Fortasse igitur pro *τοιοῦτον . . οἷον* legendum est *τοσοῦτον . . ὅσον*, quod magis congruit cum Lucretio et loco apud Plutarchum laudato. Nihilominus tota argumentatio mira est.

Cum ita notionem atomorum iam praesumpserit poeta, defensurus est, quod iam obici posset, atomos non esse, quoniam non videantur. Sed scire volenti, quid sit, non quaerendum est, num videatur, sed num tangat, „tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res" [2]), id est, num quodammodo afficiat sensus [3]), ut Epicurus: *τὰ μὲν γὰρ σώματα ὡς ἔστιν αὐτὴ ἡ αἴσθησις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ.* Ventus, odores, frigus, aestus non videntur: ea tamen esse patet ex eorum efficacitate: quin etiam corpora, ut aquam, aureos annulos, vomerem, saxa, aliaque diminui videmus: ergo „parvissima" corpora de iis decedere quotidie, necesse est putemus, quamquam ea non possunt videri. „Corporibus caecis (non visis) igitur natura gerit res" [4]). Ut rem illustret, ventorum fluminumque impetus descriptionem usurpat Lucretius, quae, etsi clarissimo poeta digna est, tamen ut comparatio est vitiosa: tertium enim, quod dicitur, comparationis, si quid videmus, falsum est. Atomi non videntur, omnino nullo sensu unquam percipiuntur [5]): eas re vera esse ratiocinatione tantum concluditur et apud Lucretium et apud Epicurum. Sed tamen sic ratiocinari videtur poeta: omnia, quae quocumque sensu percipiuntur, sunt: venti non videntur, attamen eadem efficiunt, quae aquarum flu-

---

1) V. 280: adsidue quoniam fluere omnia constat.

2) I: 304.

3) Vs. 447.

4) Vs. 328.

5) D. L. X 44 *οὐδέποτε γοῦν ἄτομος ὤφθη αἰσθήσει;* 56 δ *οὐ θεωρεῖται γινόμενον οὐθ' ὅπως ἂν γίνοιτο ὁρατὴ ἄτομος ἔστιν ἐπινοῆσαι.* Plut. plac. phil. I, 28: *εἶναι δ' αὐτὰ λόγῳ θεωρητά.* Lucret. II, 312: Omnis enim longe nostris ab sensibus infra primorum natura iacet.

mina, et tactu percipiuntur, ergo sunt: unde sequi videtur: atomi non videntur, attamen alio sensu percipiuntur, ergo sunt, quod aperte falsum est, quoniam omnino atomi nullo sensu percipiuntur. — Cetera, quae affert poeta, magis sunt ad rem: ibi quoque concluditur neque sensu percipitur, partes minimas esse in rebus, quae usu diminuuntur.

Contra philosophos, qui negabant re vera vacuum esse [1]), Lucretius ait, praeter atomos esse vacuum in corporibus, non undique stipatas cohaerere atomos [2]).

Quod si non esset, 1^0 nulla ratione moveri res possent, principium quoniam cedendi nulla daret res; quin imo: genita (corpora) omnino nulla ratione fuissent, undique materies quoniam stipata quiesset; 2^0 aquae ceteraque fluida non per saxa permanarent, ut in speluncis interdum videtur; 3^0 plantae et animalia non crescerent, quia cibus per corpora non posset distribui; 4^0 sonitus per dura corpora non transiret neque frigus ad ossa penetraret; 5^0 aliud corpus alii, pari volumine, pondere non praestaret. Quodsi obicitur, pisces celeriter nare per aquam, cum tamen vacuum in ea non percipiatur, quia aquae locum occupant a piscibus relictum, respondet noster, id phaenomenon potius probare suum dictum quam refellere, nam initium motus cogitari non posse nisi inane sit, quo aqua remota refluat. Postremo additur aliud argumentum, quo demonstrat poeta non, ut in superioribus, inane esse in corporibus, sed etiam vacuum fieri posse per se. Nam si duo, inquit, corpora, alterum cum altero coniunctum, cito dissiliunt, vacuum esse debet, quoniam aer quemque locum, inter haec corpora ortum, non eodem temporis puncto complere potest et etiamsi posset, tamen id ipsum rursus fieri non posset, nisi in aere ipso vacuum esset. Deinde, post excursum, quae praecedunt resumens sic pergit poeta: „omnis, ut est, igitur per se natura duabus constitit in rebus: nam corpora sunt, et inane, haec

---

[1]) Stob. Ecl. I, 378: *Θαλῆς καὶ ἕτεροι φυσικοὶ τὸ κενὸν ὡς ὄντως κενὸν ἀπέγνωσαν.* *Ἐμπεδοκλῆς: οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει οὐδὲ περιττόν.* Cf. Plut. plac. I, 18.

[2]) Versus, qui sequuntur (331—333) recte Lotzius in Philol. VII, p. 699 hic omittere, contra inserere post 399 mihi videtur.

in quo sita sunt et qua diversa moventur. Corpus enim per se communis dedicat esse sensus; cui nisi prima fides fundata valebit, haut erit occultis de rebus, quo referentes confirmare animi quicquam ratione queamus [1]). Tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus, si nullum foret, haut usquam sita corpora possent esse neque omnino quoquam diversa meare" [2]). Quo cum loco si Epicuri verba [3]) componimus, summa patebit congruentia: *τὸ πᾶν ἐστι σῶμα (καὶ κενόν): τὰ μὲν γὰρ σώματα ὡς ἔστιν αὐτὴ ἡ αἴσθησις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ, καθ' ἣν ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι· εἰ δὲ μὴ ἦν ὃ κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν οὐδὲ δι' οὗ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα* [4]).

In hac, quae de vacuo tractat, parte idem animadvertendum esse censemus, quod antea, nempe Lucretium primum argumentum id ponere, quod non nisi ratiocinando probatur, deinde illud confirmare argumentis, ex usu vitae sumptis: sed primum illud argumentum, ut apud Epicurum quoque, de vacuo absoluto agit, quamquam *inane in rebus* esse demonstrare debet [5]):

---

1) D. L. X, 32: *ὅθεν καὶ περὶ τῶν ἀδήλων ἀπὸ τῶν φαινομένων χρὴ σημειοῦσθαι.*

2) Vs. 419—428.

3) D. L.. X, 39, 40.

4) Addidi: *καὶ κενόν* quod sententia requirit: deinde *εἰ γὰρ μὴ* mutavi in *εἰ δὲ μή*. Hoc illo loco olim lectum esse, satis apparet ex ipsius Epicuri in epist. ad Pyth. (D. L. X, 86) verbis: *τὸ πᾶν σῶμα καὶ ἀναφὴς φύσις ἐστίν*, e Plut. adv. Col. XI: 5: *'Επικούρου δὲ λέγοντος: „ἡ τῶν ὄντων φύσις σώματά ἐστι καὶ τόπος* etc., postea XIII, 3: *ἐν ἀρχῇ δὲ τῆς πραγματείας ὑπειπών, τὴν τῶν ὄντων φύσιν σώματα εἶναι καὶ κενόν*. Incertum tamen videri potest, quod vocabulum ex hisce tribus: *κενόν, τόπος, ἀναφὴς φύσις* eligendum sit; sed animadvertenti in secunda parte sententiae verbum *κενόν* primum locum occupare, patebit, ut in secundo e Plutarcho laudato loco, ita hic etiam illud verbum *κενόν* scribendum esse. — In paragraphum 38 Gassendo visum est *καὶ οὐδὲν φθείρεται εἰς τὸ μὴ ὄν* inserendum esse, quod tamen, si illud *πρῶτον μὲν* et *δὲ* post *ἐφθείρετο* non praetereo, affirmare non ausim.

5) 330, 335. Sine ullo discrimine Lucretius usurpare videtur nomina: inane, vacuum, locus (res in quo quaeque geruntur), spatium, spatium inane, vacuum inane (II, 236). Sextus Empiricus docet Epicurum sic discrevisse *τὸ κενὸν, τὸν τόπον, τὴν χώραν: „ἔπειπερ ἡ αὐτὴ φύσις ἔρημος μὲν κατεστηκυῖα παντὸς σώματος, κενὸν προσαγορεύεται*, (Lucr. vacuum quod inane vocamus I 439, 426 locus ac spatium

omittit vero, quod in laudatis Epicuri verbis legimus: nisi vacuum sit, corpora non habere *ubi sint*, quod tamen vs. 421 et 427 in conclusione invenimus; cetera pertinent ad vacuum in corporibus vel genitis, ut vocantur vs. 511, rebus [1]) et nihil commune habent cum illo primo. In sequentibus vs. 421, 27, 82, 505 cett. perpetuo de vacuo absoluto loquitur poeta. Singula, quae Lucretius argumenta affert et phaenomena, quibus nituntur, fortasse ex Epicuro sunt sumta.

Primum enim Epicuri esse, apparet ex Aristotelis Phys. IV. 6, ubi haec verba e Democrito et Leucippo sumit: *οὐ γὰρ ἂν δοκεῖν εἶναι κίνησιν, εἰ μὴ εἴη κενόν· τὸ γὰρ πλῆρες ἀδύνατον εἶναι δέξασθαί τι.* Secundum autem ab Epicuro e Democrito sumptum esse, ex eodem capite videre licet: *ἕνα μὲν οὖν τρόπον ἐκ τούτων δεικνύουσιν ὅτι ἔστι τι κενόν, ἄλλον δ' ὅτι φαίνεται ἔνια συνιόντα καὶ πιλούμενα, οἷον καὶ τὸν οἶνόν φασι δέχεσθαι μετὰ τῶν ἀσκῶν τοὺς πίθους, ὡς εἰς τὰ ἐνόντα κενὰ συνιόντος τοῦ πυκνουμένου σώματος.* Tertium quoque invenimus in eodem capite: *ἔτι δὲ καὶ ἡ αὔξησις δοκεῖ πᾶσι γίγνεσθαι διὰ κενοῦ· τὴν μὲν γὰρ τροφὴν σῶμα εἶναι, δύο δε σώματα ἀδύνατον ἅμα εἶναι.* Quartum autem cum secundo plane convenit: aquae loco hic frigus et calor usurpantur, quae secundum Epicurum, cum nihil esse praeter corpora et vacuum statueret, inter corpora erant numeranda. Quintum apud Democritum exstabat secundum Theophrastum [2]): *βαρὺ μὲν οὖν καὶ κοῦφον τῷ μεγέθει διαιρεῖ Δημόκριτος· οὐ μὴν ἀλλ' ἔν γε τοῖς μικτοῖς κουφότερον ἂν εἶναι τὸ πλέον ἔχον κενόν, βαρύτερον δὲ τὸ ἔλαττον.* Quin etiam illam obiectionem de piscibus in aqua nantibus ex Epicuro sumptam esse verisimile fit hisce verbis, quae in 7° capite Aristotelis l. l. reperimus: *αἴτιον δὲ κινήσεως οἴονται εἶναι τὸ κενὸν οὕτως ὡς ἐν ᾧ κινεῖται· τοῦτο δ' ἂν εἴη οἷον τὸν τόπον φασί τινες εἶναι· οὐδεμία δ' ἀνάγκη, εἰ κίνησις*

---

quod inane vocamus) *καταλαμβανομένη δὲ ὑπὸ σώματος, τόπος καλεῖται* (apud Lucr. inane I, 420, locus etc.) *χωρούντων δὲ δι' αὐτῆς σωμάτων χώρα γίνεται.* (Lucr. inane II, 217, 222, 226, inane vacuum II, 158, 236).

[1]) Res = res genitae, corpus saepe = materies, ut I, 336, 61 et passim.

[2]) Περὶ Αἰσθήσ. 61.

ἔστι, εἶναι κενόν· ὅλως μὲν οὖν πάσης κινήσεως οὐδαμῶς, διὸ καὶ Μέλισσον ἔλαθεν· ἀλλοιοῦσθαι γὰρ τὸ πλῆρες ἐνδέχεται, ἀλλὰ δὴ οὐδὲ τὴν κατὰ τόπον κίνησιν· ἅμα γὰρ ἐνδέχεται ὑπεξιέναι ἀλλήλοις, οὐδενὸς ὄντος διαστήματος χωριστοῦ παρὰ τὰ σώματα τὰ κινούμενα. καὶ τοῦτο δῆλον καὶ ἐν ταῖς τῶν συνεχῶν δίναις, ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς τῶν ὑγρῶν. Principium, quod Democritus et Leucippus hisce argumentis subiecerunt, hoc est, quod duo corpora non simul eodem loco esse possunt: huius principii tamen Lucretius mentionem non facit.

Genus argumentationis Lucretii et Epicuri omnino est simile. Ab eiusmodi contemplationibus, quas abstractas vocare solemus, uterque abhorret: sed Lucretius, Romanae indolis particeps, etiam magis quam Epicurus. De *τῷ esse* loqui idque definire ei in mentem non venit, quamquam non supervacaneum fuisset. Iure hoc vitium Cicero Epicureis obicit. Eo ambigua non pauca exstiterunt apud Lucretium, exempli gratia, in significatione verbi *esse*. Quod versu 440 dicit: „per se quodcumque erit, aut faciet quid aut aliis fungi debebit, agentibus ipsum, aut erit ut possint in eo res esse gerique", haec tripartita sententia vix definitionis habet vim: perspicuum est philosophum eam posuisse, postquam statuit atomos et inane sola per se esse [1]). Nihilo facilius est ex eo, quod dicit, ut probet praeter inane et vacuum tertium non esse, definitionem petere: „nam quodcunque erit, esse aliquid debebit id ipsum" [2]); si tangi potest, in corporum numero est habendum, si tangi non potest, ad vacuum pertinebit. Arist. Phys. IV. 7: *σῶμα δὲ πάλιν ἅπαν οἴονται εἶναι ἁπτόν.* Vacuum Epicurus *ἀναφῆ φύσιν* vocat. D. L. X. 40.

Inane igitur non alio modo *est* quam corpus [3]), quin imo ap-

---

1) Epic. apud D. L. X, 67 *καθ' ἑαυτὸν δὲ οὐκ ἔστι νοῆσαι τι ἀσώματον πλὴν ἐπὶ τοῦ κενοῦ. τὸ δὲ κενὸν οὔτε ποιῆσαι οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται.*

2) Vs. 433.

3) Epicurus quoque similiter esse putat *τὸ* esse *τοῦ σώματος* et *τοῦ κενοῦ*. Plut. adv. Col. XVI: *σοφώτερος δὲ τοῦ Πλάτωνος ὁ Ἐπίκουρος, ᾗ πάντα ὁμοίως ὄντα προσαγορεύεται, τὸ ἀναφὲς κενόν, τὸ ἀντερεῖδον σῶμα, τὰς ἀρχάς, τὰ συγκρίματα.*

pellat poeta vacuum *rem* [1]); fortasse propter „egestatem linguae". Ut hoc autem contra eos affirmavit philosophos, qui negabant vacuum aliud esse quam non esse [2]), sic sequentia imprimis adversus Stoicos scripsit. Distinxit enim Lucretius, Epicurum secutus, esse in alia re, et esse per se. Non negat praeter materiem et vacuum alia esse, sed ea esse per se, confiteri recusat: quaecumque praeter haec duo sunt, aut coniuncta sunt rebus, aut earum eventa [3]): coniuncta, cum a corpore secerni non possunt nisi intereant, ut „pondus saxi, calor ignis, liquor aquai, tactus corporibus cunctis, intactus inani" [4]); eventa autem sunt haec, „quorum adventu manet incolumis natura abituque", ut paupertas, bellum, concordia. Appellantur haec ab Epicuro *συμπτώματα*, illa autem *συμβεβηκότα* [5]). Inter eventa tempus quo-

---

[1]) I, 420.

[2]) Democritus (Zeller I, 578 seqq.) et Stoici.

[3]) D. L. X, 40: *παρὰ δὲ ταῦτα οὐδὲν ἐπινοηθῆναι δύναται ... ὡς τὰ καθ' ὅλας φύσεις λαμβανόμενα καὶ μὴ ὡς τὰ τούτων συμπτώματα ἢ συμβεβηκότα λεγόμενα.*

[4]) 453 sqq. Iniuria ultimum versum delent Lachm. et Bern. (Munr. eum servat) quia „intactus" latine dici non possit: mihi quidem videtur hoc vocabulum ab ipso Lucretio brevitatis causa inventum esse, ut haberet quod tactui opponeret eodem modo atque inane et corpora inter se sunt opposita. Praeterea est primum coniunctum corporum tactus, ut inanis est quod tangi non potest. Sext. Emp. adv. math. X. 321. Epicuri verba laudans, inter *συμβεβηκότα* nominat *ἀντιτυπία μὲν τοῦ σώματος, εἶξις δὲ τοῦ κενοῦ*: itaque recte putat Munrous Lucretium pro hoc *εἶξις intactus* usurpasse.

[5]) Munrous negat Epicurum hoc discrimen fecisse putatque ab ipso Lucretio factum esse, ut discerneret duo genera *συμβεβηκότων* vel accidentium, nempe ea, quae sunt *καθ' αὑτά* vel per se, et quae non sunt per se. Testem affert ipsum Epicurum D. L. X, 40, 67, 68, 70, 71 et Sext. Emp. adv. mathem. X, 221. Attamen mihi non persuasit. Videamus num Epicurus, qui monet ne significationes verborum confundamus, tamen ipse pro eadem re duo usurpaverit vocabula.

In § 68 seqq. *τὰ σχήματα καὶ τὰ χρώματα καὶ τὰ μεγέθη καὶ τὰ βαρέα ὡσανεὶ συμβεβηκότα* appellantur, atque de iis praedicatur, ea esse quidem, sed non per se, neque tamen esse partes corporum, ita ut haec ex illis sint composita: potius sunt rerum proprietates, e quibus omnibus perpetuam habent suam naturam: *ἐκ τούτων ἁπάντων τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἔχον ἀΐδιον* (§ 69). *καὶ ἐπιβολὰς μὲν ἔχοντα ἰδίας πάντα ταῦτ' ἐστὶ καὶ διαλήψεις .... οὐδαμῇ ἀποσχιζομένου (τοῦ ἀθρόου).* Contingit vero corporibus saepe, ut non sempiternas habeant qualitates (70): *ὥστε δὴ κατὰ τὴν πλείστην φορὰν* (§ 67 quoque, in definitione vocabuli *ἀσώματον*: *κατὰ τὴν πλείστην ὁμιλίαν*) *τούτῳ τῷ ὀνόματι χρώμενοι φανερὸν ποιοῦμεν τὰ συμπτώματ' οὔτε*

que numerandum est: non est incorporeum per se, ut Stoici aiebant, nam „semotum ab rerum motu placidaque quiete" (463) nemo id sentire potest: res gestae item non sunt per se, sed eventa corporum aut locorum (482). Tempus tantum nobis indicat motum, quo percipimus, „transactum quid sit in aevo, tum quae res instet, quid porro deinde sequatur" (460). Praeter hoc, quod sensu percipitur, tempus, alia statuit esse tempora, „ratio quae comperit esse" (IV. 794) quaeque multa tempore in uno latent. Plura tamen in re tam gravi non narrat, ut vulgo ab eiusmodi cogitationibus subtilioribus quae ad physicam non pertinent abstinet. Uberius autem Epicurus et philosopho dignius de tempore disseruit; cum tamen hic de Lucretii doctrina disputemus, non est locus haec amplius tractandi. Modo dicamus Epicurum tempus appellare *σύμπτωμα συμπτωμάτων, παρεπόμενον ἡμέραις τε καὶ νυξὶ καὶ ὥραις καὶ πάθεσι καὶ ἀπαθείαις καὶ κινήσεσι καὶ μοναῖς* (DL. X. 73 *κινήσεσι και στάσεσιν*) Sext. Emp. adv. math. X. 219, Stob. Ecl. I. 252, atque ab eo divisionem in *χρόνον αἰσθητόν* et *χρόνον διὰ λόγου θεωρητόν* (DL. X. 47) oriri.

Cum ita descripserit Lucretius quid sit, quid non sit, de modo quo sint omnes res sive de particulis, quae eas componunt, agit. Corpora sunt partim „primordia rerum" partim ex „concilio quae constant principiorum." Haec primordia solida sint corpora necesse est [1]. E sensu atomos esse probari non potest, quam ob rem e ratione, quae rerum naturam contemplatur, auxilium petendum est. Tria argumenta, quae nunc sequuntur, eodem fundamento nituntur: e natura materiae et vacui concluditur atomos esse

---

τὴν τοῦ ὅλου φύσιν ἔχειν.. οὔτε τὴν τῶν ἀϊδίων παρακολουθούντων (= *συμβεβηκότων*)· *ὧν ἄνευ σῶμα οὐ δυνατὸν νοεῖσθαι.* In § 71 *συμπτώματα* praedicatum habet: *οὐκ ἀΐδια*; *συμβεβηκότα* contra appellat *ἀΐδια*; ut *συμβεβηκότα* appellat *παρακολουθοῦντα* sic *συμπτώματα.. οὐκ ἀΐδια παρακολουθοῦντα* (71). Constare igitur videtur ipsum Epicurum hoc discrimen posuisse, etiamsi interdum, sive negligentia, sive quod non inter se opponuntur *συμβεβηκότα* et *συμπτώματα*, hoc alterum vocabulum latiore sensu, ut ita dicam, usurpatur, ut § 67 et § 71, ubi omnia corpora *συμπτώματα* nominat. Quod Sextus 10, 219 p. 670 dicit, his non repugnat.

[1]) D. L. X, 40: *τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται, ταῦτα δ' ἐστὶν ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα.*

et earum natura exponitur (503—510). Corpus et inane alterum alterum excludunt: ubi corpus est, inane esse non potest et contra. Unde sequitur particulas esse in rebus genitis, quae vacuo careant, igitur solida sint (511—19). Ubi vacuum est in rebus genitis, materies debet esse, quae id circumcludit: concilium materiae circumdat vacuum idque cohibet: constat igitur materies solido corpore, 520—27. Neque omne est solidum neque omne vacuum, in rebus genitis alternant inter se [1]; „sunt ergo corpora certa, quae spatium pleno possint distinguere inane".

Apud Epicurum haec argumenta non inveniuntur neque credo eum unquam sic ratiocinatum esse. Principium enim, corpus et inane se vicissim excludere neque verum est neque ad mentem philosophi Graeci, qui vacuum definit [2], tamquam locum, ubi sunt corpora et per quem moventur: quo dato sequitur, materiam et vacuum non impenetrabilia esse. In infinito vacuo, quod undique ab omni parte cohaeret, materies versatur, quae non ubicumque cohaeret.

Ut supra iam indicavimus, ipse Lucretius quoque vs. 421 vacuum eo modo describit; ab initio tamen non fecit, sed semper loquitur de atomis et de intervallis, quibus distant inter se, quaeque inane vocat [3]. Res genitae apud eum non sunt complexiones materiae in vacuo ita exstructae, ut non perpetuo cohaereant, sed res sunt *compositae* (cf. I. 569) e materia et inani, quo fieri potuit, ut affirmaret alteram alterum excludere, ea impenetrabilia esse. Quia non bene distinguit, non bene docet: est vitium methodi in rebus explicandis. Idem vitium causa est, cur in circulo vitioso versetur. Nam, ut supra demonstravimus, probavit principium: nihil e nihilo fieri neque quod est ad nihilum redire, ex eo, quod primordia rerum sunt aeterna. Nunc autem e contrario dicit atomos immutabiles esse quia, nisi ita esset, omne ad nihil iam diu redisset.

---

[1]) Vs. 524 legendum est: inani *est*, aut cum Munr. 525 distinctum*st* et post vacuum 526 punctum. Lachm. et Bern. defendunt codicum lectionem, quam vix intellego.

[2]) D. L. X. 40 cf. supra.

[3]) Cf. I. 330.

I. vs. 244 seqq.:
„Inter se quia nexus principiorum dissimiles constant aeternaque materies est, incolumi remanent res corpore .... haud igitur redit ad nilum res ulla sed omnes discidio redeunt in corpora materiai."

I. vs. 543 seqq.:
„At quoniam supra docui nil posse creari de nilo neque quod genitum est ad nil revocari, esse immortali primordia corpore debent, dissolui quo quaeque supremo tempore possint, materiis ut subpeditet rebus reparandis."

Epicurus, siquidem ex epistolis ceterisque fragmentis de hisce rebus diiudicare possumus, non idem in vitium incidit. Ait quidem primordia rerum esse *ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι, ἀλλ' ἰσχύοντα ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων* [1]), sed illa principia, de quibus sermo erat, dialecticorum more probavit esse, primordiis omissis. — Sed pergamus.

Addit poeta aliud argumentum, quod simillimum est ei, quo usus est antea, ad summum physicae principium probandum. Sunt atomi, nam materies non ad infinitum dividi potest; si enim natura finem non posuisset rebus frangendis, iam eo destructio progressa esset, ut nulla res adhuc durare posset; facilius enim est destruere quam construere [2]). Hae atomi porro solidae et durae esse debent, quoniam si solidae sunt, inani admixto, res molles produci possunt, cum, si ipsae molles essent, non perspicuum esset, quî solidae res exstare possent. Cum autem adhuc corpora durent, necesse est, constent e primordiis, quae dura sint, quia tam diu iam immutata existant. Denique secundum certas leges, per „foedera naturai" omnes res crescunt ita, ut, exempli gratia, eaedem aves semper iisdem niteant coloribus, quod, cum colores, figura, magnitudo pendeant ab ordine atomorum, fieri non posset, nisi essent partes quaedam immutabiles [3]), e quibus omnes

1) D. L. X, 41.

2) D. L. X, 56: *ὥστ' οὐ μόνον τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν ἐπὶ τοὔλαττον ἀναιρετέον, ἵνα μὴ πάντ' ἀσθενῆ ποιῶμεν καὶ ὡς ἐν ταῖς περιλήψεσι τῶν ἀθρόων εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναγκαζώμεθα τὰ ὄντα θλίβοντες καταναλίσκειν*, cett.

3) D. L. X, 43: *οὐδὲ γὰρ φησὶν ἐνδοτέρω, εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τυγχάνει, ἐπειδὴ αἱ ποιότητες μεταβάλλονται, εἰ μὴ μέλλει τις καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν.*

res orirentur. — Haec omnia respondent argumentis supra laudatis, ubi tamen minus apta erant quam hic, uti iam demonstravimus. Sine dubio ab ipso Epicuro hic sunt usurpata [1]: congruunt cum tota eius philosophia neque quidquam est, quod induceret nos, ut crederemus haec Lucretii propria esse. Ceterum fateamur difficile esse in eiusmodi rebus veritatem investigare, quoniam fragmenta nullum exhibent testimonium.

Postquam igitur demonstravit esse corpora, quae primordia rerum appellari possunt, horum naturam accuratius describere videtur [2], quoniam ex earum scientia omnis pendet doctrina. Democritus [3] iam et Epicurus [4] docuerunt primordia esse individua et immutabilia, non propter parvitatem, sed propter soliditatem vel duritiam, id est, quia inani carent. Idem Lucretius facit vs. 533: „nam neque conlidi sine inani posse videtur quicquam, nec frangi nec findi in bina secando, nec capere umorem neque item manabile frigus nec penetralem ignem." Absoluta soliditas igitur prima est primordiorum qualitas, quae, cum sint individua, sunt et minima [5]. Praeterea nisi minima essent corpora, si atomi in suas rursus partes dissolvi possent, omnia aequalia essent magnitudine, nam res parvae constarent ex infinito numero partium, sed res magnae quoque, igitur pares essent [6].

---

[1]) Steinhart in Ersch. et Gruber. Encycl. sub voce Epicurus, negat vs. 584—99 argumentum continere, quod unquam ab Epicuro sit prolatum: illa „foedera naturai" potius dicit probare contrarium eius, quod Lucretius velit. Attamen fateor me non videre, cur falsum sit vel Graeci philosophi doctrinae repugnans censendum. Cf. D. L. X, 43.

[2]) Videtur: nam dubitari potest, num hic probetur esse atomos, an atomos solidas esse et minima corpora. Cf. 609 seqq.

[3]) D. L. IX, 44.

[4]) Plat. plac. phil. I, 3 *καὶ εἴρηται ἄτομος, οὐχ ὅτι ἐστὶν ἐλαχίστη, ἀλλ' ὅτι οὐ δύναται τμηθῆναι, ἀπαθὴς οὖσα, καὶ ἀμέτοχος κενοῦ· ὥστε ἐὰν εἴπῃ ἄτομον, ἄθραυστον λέγει, καὶ ἀπαθῆ, καὶ ἀμέτοχον κενοῦ.*

[5]) Minus recte Lucretius I, 626, 27 quoniam minima sint primordia ea quoque esse solida atque aeterna dicit.

[6]) Cf. Newton apud Munroum ad vs. 622 de fallacio in hoc argumento; Lucr. I, 615 seqq. D. L. X, 43, uberius autem 56 et 57: *πρὸς δὲ τούτοις οὐ δεῖ νομίζειν ἐν τῷ ὡρισμένῳ σώματι ἀπείρους ὄγκους εἶναι οὐδ' ὁπηλικουσοῦν· ὥστ' οὐ μόνον τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν ἐπὶ τοὔλαττον ἀναιρετέον . . . . . οὐδὲ γὰρ ὅλως, ἐπειδὰν ἅπαξ τις*

Haec primordia igitur sunt minima corpora, quod tamen sic intellegendum est: minima sunt corpora, quae per se exstare possint; habent vero partes, quas cogitando invenire possumus; sed hae partes nunquam ab toto avelli possunt neque per se esse; atomi igitur non ex illarum (sic recte Munro 611) conventu sunt ortae, sed ab omni aeternitate eandem habebant formam. Secundum similitudinem enim aliorum corporum, quae extremitates et cacumina habent, Epicurus eiusque interpres Lucretius ratiocinantur. Praeterea ipsa doctrina poscit atomos habere plures formas: varietate enim atomorum formarum varii sensuum affectus explicantur (IV. 648 sqq.). Inveniuntur quadratae, rotundae, uncis praeditae et multis aliis modis constructae [1]: cum autem ita sint formatae, fieri non potest, quin intellectus in iis discernat partes [2]. Denique nisi atomi minima essent corpora, quae per se exstare possent, sed si natura iam atomos ipsas in minimas earum partes dissolvere consuesset, nil ex illis reparari posset, quoniam quae nullis [3] sunt partibus praedita, non possunt ea, quae „genitalis materies" habere atque efficere: varios conexus, pondera, plagas, concursus, motus [4].

Haec omnia ex Epicuri doctrina esse depromta, postea patebit

εἴπῃ. ὅτι ἄπειροι ὄγκοι ἔν τινι ὑπάρχουσιν ἢ ὁπηλικοιοῦν, ἔστι νοῆσαι πῶς τ' ἂν ἔτ πεπερασμένον τοῦτ' εἴη τὸ μέγεθος· πηλίκοι γάρ τινες (ὄντες) δῆλον ὡς οὐκ ἄπειροι εἰσιν ὄγκοι, cett.

1) Cf. lib. II et IV passim.

2) D. L. X, 58. Lucr. I, 599 sqq. Versum 599, ut opinor, codices sanum praebent: „tum porro quoniam est extremum quodque cacumen corporis illius, cett. Corpus illud sine dubio est atomus, quae secundum analogiam aliorum corporum non unam cum reliquis atomis habet formam (II, 335). Munrous, cui si locum emendandum putarem, uni assentiri possem, hanc cum aliis corporibus similitudinem exprimendam esse censet (ut Epicurus D. L. 58: *ταύτῃ τῇ ἀναλογίᾳ νομιστέον καὶ τὸ ἐν τῇ ἀτόμῳ ἐλάχιστον κεχρῆσθαι μικρότητι γὰρ ἐκεῖνο δῆλον ὡς διαφέρει τοῦ κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρουμένου, ἀναλογίᾳ δὲ τῇ αὐτῇ κέχρηται*). Sed, cum hic Lucretio proprie non sit locus de atomorum forma tractandi, quod postea suo loco in lib. II ubi de sensibus agit, uberius facit, mihi constat, eum hic atomos quales Epicurus eas depinxerit, ob oculos habuisse, deinde ut saepius, de iis tamquam de re nota locutum esse. Cf. I, 749.

3) Ita recte codices et Munrous, Lachm. et Bern. *multis*.

4) Lachm. et Bern. mihi videntur errasse in emendandis codd. Munrous solus per-

cum de iisdem et aliis atomorum proprietatibus sermo erit. Poeta autem, cum suam doctrinam argumentis firmaverit, ad dissentientium philosophorum placita refutanda transit. Multam enim ipse Epicurus dedit operam, ut aliorum doctrinam redargueret [1]), quam rationem Lucretius secutus est. In hac parte operis poeta refellit Heracliti, Empedoclis, Anaxagorae aliorumque doctrinam, qui „quamquam multa bene ac divinitus inveniebant, principiis tamen in rerum fecere ruinas et graviter magni magno cecidere ibi casu [2]).”

Heracliti imprimis doctrinam, cum eam Stoici sequerentur, acriter impugnat (635—705, 782—802). Quem ipsum, si quaeritur, num Lucretius ante oculos habuerit, affirmare non ausim. Multa revera affert, quae ab ipso Heraclito dicta esse videntur, eiusque doctrinam omnino, quatenus quidem diiudicare possumus, cum fide expressit [3]), sed tamen modo de Heraclito, modo in plurali numero [4]) de Stoicis (quos tamen nomine non indicat) loquitur: apparet igitur eum Heraclitum ut principem et fontem invisissimae scholae oppugnasse. Adversus physicos

---

spexit sententiam: attamen quae de *cacumine* affert et de causa, cur atomorum partes avelli non possint, non probarim. Huc fortasse referendum est quod D. L. X, 43 dicit: *οὐδὲ γάρ* cett. Haec verba sic interpretari velim: neque enim, inquit inferius, in infinitum sectio est quoniam qualitates (atomorum sive rerum) mutantur, si quis non dubitat dicere, eas (atomos) etiam magnitudinibus simpliciter in infinitum transire (se protendere). Mutavimus autem λέγει δὲ, quod in codice Leidensi ante *ἐπειδή* legitur, ubi suum locum non habet, in λέγειν, quod posuimus post *μέλλει τις*: deinde *ἐκβάλλειν* quod sensum non praebet, mutavimus in *ἐκβαίνειν*. Legamus igitur: *οὐδὲ γάρ φησὶν ἐνδοτέρω, εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τυγχάνει, ἐπειδὴ αἱ ποιότητες μεταβάλλονται εἰ μὴ μέλλει τις λέγειν καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβαίνειν.*

[1]) Anaxagorae doctrinam partim redarguit (D. L. X, 12): librum scripsit, cui titulus: *Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικούς* (D. L. X, 27); porro: *πρὸς Μεγαρίκους διαπορίαι.* Cynicos oppugnavit (D. L. X, 119); adversus Cyrenaicos scripsit (D. L. X, 136, 137). Praeterea e fragmentis satis apparet eum adversus alios quoque scripsisse cf. Vol. Herc. II *περὶ φύσεως*, II, col. VII.

[2]) I, 736 seqq.

[3]) Lucr. I, 635, Müllach. fragm. Heracl. 49; I, 693; Müll. fr. 23, I, 783; Müll. fr. 31, aliud tamen 59. Ad. vs. 699 seqq. cf praeterea Teichmüller. Neue Studien, pag. 99; ad 665 seqq. Zeller I, pag. 594 ed. 4, 1877.

[4]) I, 655 sqq., 665 seqq., 705, 782.

autem Epicurus scripsit [1]), procul dubio ergo inter eos etiam contra Heraclitum, quem turbatorem (κυκητὴν) vocasse dicitur [2]). Quod autem in Stoicos vehementer invectus est eorumque philosophiam, opportunitate data, redarguit et ex utrorumque inimicitiis sequitur et supra iam demonstratum est nec non deinde apparebit. Quis igitur, praesertim cum iam constet, Lucretium omnia, quae hunc locum praecedunt, ex Epicuro sumpsisse, quod etiam de iis, qui hos insequuntur, versibus ostendetur, dubitare potest, haec omnia reputans, quin poeta in hac quoque operis parte Epicurum tantum interpretatus sit? Quod si quis e vs. 639 et 643 efficere vellet Lucretium, cum Heracliti elocutionis proprietates commemoret, ipsa philosophi opera legisse, iam satis erit, si monuerimus, obscuram linguam Heracliti tempore Lucretii iam diu in proverbium abiisse [3]), cum ipse Epicurus, qui magni fecit dilucidam orationem [4]), non omiserit hoc vitium perstringere. Denique omnia, quae profert vs. 665—689, prorsus concinunt cum Epicuri verbis [5]): *καὶ μὴν καὶ τὰς ἀτόμους νομιστέον μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προσφέρεσθαι πλὴν σχήματος καὶ βάρους καὶ μεγέθους καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματι συμφυῆ ἐστι· ποιότης γὰρ πᾶσα μεταβάλλει, αἱ δ' ἄτομοι οὐδὲν μεταβάλλουσιν, ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν ποιήσεται οὐδ' ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλὰ κατὰ μεταθέσεις μὲν πολλῶν, τινῶν δὲ καὶ προσόδους καὶ ἀφόδους. ὅθεν ἀναγκαῖον τὰ μὴ μετατιθέμενα ἄφθαρτα εἶναι καὶ τὴν τοῦ μεταβάλλοντος φύσιν οὐκ ἔχοντα."* Fortasse hanc eandem materiam copiosius in perditis tractavit scriptis Epicurus, Heracliti placitis collatis.

Non minorem impendit operam Lucretius Anaxagorae refellendae doctrinae vs. 830—920. Iisdem fere argumentis poeta

---

[1]) Cf. ad. 3.

[2]) D. L. X, 8.

[3]) Arist. de Mundo c. 5, p. 396 edit. Bekker: *ταὐτὸ δὲ τοῦτο ἦν καὶ τὸ παρὰ τῷ σκοτεινῷ λεγόμενον Ἡρακλείτῳ.* Cic. de Fin. II, 15. Senec. Epist. 12, 7. Liv. XXIII, 39, 3.

[4]) D. L. X, 13.

[5]) D. L. X, 54.

utitur, quibus adversus Heraclitum et alios usus est: demonstrat enim eorum doctrinam, cum aut atomos et vacuum esse negarent, et ex eorum placitis sequeretur nihil e nihilo creari aut ad nihil redigi posse ea quae sint, aut atomorum naturam non agnoscerent, cum iis, quae probaret, principiis non convenire et hanc ob rem naturae veram rationem subvertere. Sed nostra interest scire, num in hac refutatione quoque Lucretius auctorem suae doctrinae secutus sit, an vero ipsi Anaxagorae studuerit, quod, si recte quidem vidimus, e sequentibus fortasse discerni poterit. Epicuri fragmenta, quae ad nos pervenerunt, nihil de Anaxagora referunt, ita ut hic quoque certis indiciis nihil affirmari possit. Sed tamen sunt quaedam indicia. Constat enim, auctore Diocle, Epicurum ex antiquis maxime Anaxagoram amplexum esse, etsi in quibusdam illi contradixerit [1]). Itidem patet ex paucis Anaxagorae libri *περὶ φύσεως* fragmentis, quae supersunt, multa ei communia esse cum Epicuro, in multis etiam hunc ab illo differre [2]), maxime in iis, quae ad atomorum naturam pertinent. Constituamus ergo licet Gargettium etiam Clazomenii de atomis doctrinam oppugnasse. Quod si constat, nihil est quod cogat nos credere, Lucretium ipsius Anaxagorae scriptum legisse, cum quae refert ex Epicuri operibus haurire potuerit. Eum

---

1) D. L. X, 12.

2) Cf. Müllach fr. Anaxag. 14 *τούτων δὲ οὕτω διακεκριμένων γινώσκειν χρή, ὅτι (τὰ) πάντα οὐδὲν ἐλάσσω ἐστὶ οὐδὲ πλέω. Οὐ γὰρ ἀνυστὸν πάντων πλέω εἶναι, ἀλλὰ πάντα ἴσα αἰεί* Cf. Lucr. II, 303 sqq. fr. 17 *τὸ δὲ γίνεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι οὐκ ὀρθῶς νομίζουσι οἱ Ἕλληνες· οὐδὲν γὰρ χρῆμα οὐδὲ γίνεται οὐδὲ ἀπόλλυται, ἀλλ' ἀπὸ ἐόντων χρημάτων συμμίσγεταί τε καὶ διακρίνεται. Καὶ οὕτως ἂν ὀρθῶς καλοῖεν τό τε γίνεσθαι συμμίσγεσθαι καὶ τὸ ἀπόλλυσθαι διακρίνεσθαι.* Ab eo discrepant haec fr. 5: *ἐν παντὶ παντὸς μοῖρα ἔνεστι* (Lucr. I, 876), *πλὴν νόου· ἔστι οἷσι δὲ καὶ νόος ἔνι* (Lucr. I, 919, 20. Locus hic non est integer: in animo erat: si fingis materiai corpora (atomos) consimili natura esse praeditas atque rem ex iis compositam, non potes, quin rerum sensibus praeditarum atomos quoque sensibus praeditas esse, statuas: quod si facis pereunt tibi primordia rerum; „fiet uti risu tremulo concussa cachinnent et lacrimis salsis umectent ora genasque": at tum non amplius immutabilia sunt primordia rerum, neque solida; nam nervi, viscera aliaque sine quibus non possunt sentire, sunt mollia; ergo cum mollia sint et mutabilia pereant quoque necesse est. 1021, II, 973 sqq.) fr. 15, *οὔτε τοῦ σμικροῦ γέ ἐστι τό γε ἐλάχιστον ἀλλ' ἔλασσον αἰεί.* (Lucr. I, 844.)

hoc revera fecisse multa nobis persuadent. Nam quae de Anaxagorae profert doctrina, eum docuisse esse homoeomerian et in omnibus rebus omnia inesse, eiusmodi sunt, ut procul dubio ab ipso Epicuro sint tractata Porro, ut magister, sic discipulus quoque, non pauca ex Anaxagorae mente dixit [1]). Sed ni fallimur, audacius iam licet loquamur. Ex ipsis enim poetae verbis sequi nobis videtur eum Anaxagorae librum non legisse. Inter homoeomerias enim enumerat (840, 41, 67, 71) terram et ignem, cum tamen Aristoteles duobus locis, ubi eum diligenter loqui negare non possumus, quoniam Anaxagorae et Empedoclis doctrinam inter se opponit, affirmet, illum haec duo inter *σύνθετα* posuisse [2]). At etiam si hoc fortasse dubiis obnoxium esse posset, constare tamen videtur, vocem *ὁμοιομέρεια*, qua similitudo omnium partium in rebus simplicibus exprimitur, non ipsae atomi (apud Lucretium quidem et Epicurum), quae tamen vox a poeta Anaxagorae attribuitur (I. vs. 834), ab eo nunquam usurpatam esse [3]), cum partes, res

---

[1]) Cf. Munr. ad II, vs. 991. Hic vir doctus putat (ad I, 834) Lucretium ea, quae de Anaxagora dicit, ab ipso et ab Epicuro mutuatum esse, quamquam huius opinionis priorem partem non probat.

[2]) Cf. Zeller I, 4ª ed. pag. 876, et Munroum ad vs. I, 834.

[3]) Zeller, pag. 877, not. 1, imprimis pag. 879 not. 1. Quae Munr. pag. 391 affert e Gomperts Zeitschs. für Oesterr. Gymn. vol. 18, p. 212 fragm. 6, libri 28 *περὶ φύσεως*: „*τό γε* (*στοιχεῖον ἤδη τὴν ὁμοιομέρειαν τῷ φαινομένῳ κεκτημένον*" ostendunt, Epicurum hoc vocabulum in singulari numero usurpasse, neque id, ut posteriores, ad principia denominanda, sed ad qualitatem quandam exprimendam, quam significationem abstractam, ut dicimus, Lucretius quoque vocabulo adscribit, si quid videmus, neque ut Zeller putat collectivam = *τὰ ὁμοιομερῆ*. Hoc exemplum autem affirmare meam opinionem mihi videtur. Revera Plut. plac. I, 3, 8 ait: *ἀπὸ τοῦ οὖν ὅμοια τὰ μέρη εἶναι ἐν τῇ τροφῇ τοῖς γεννωμένοις, ὁμοιομερείας αὐτὰς ἐκάλεσε*; sed contra eum Aristoteles testatur, *τὰ ὁμοιομερῆ* (*ὁμοιομέρεια* ei nondum est notum) potius nomen ducere ab iis rebus, quae ex eiusdem generis atomis sint compositae ut ossa, caro, cett, cum aer, ignis, commixtiones sint e diversi generis principiis sive elementis. Arist. p. 314, a. (edit. Bekk.): (*Ἀναξαγόρας*) *μὲν γὰρ τὰ ὁμοιομερῆ στοιχεῖα τίθησιν, οἷον ὀστοῦν καὶ σάρκα καὶ μυελόν, καὶ τῶν ἄλλων ὧν ἑκάστου συνώνυμον τὸ μέρος ἐστίν. Δημόκριτος δὲ καὶ Λεύκιππος ἐκ σωμάτων ἀδιαιρέτων τἄλλα συγκεῖσθαί φασι, ταῦτα δ'ἄπειρα καὶ τὸ πλῆθος εἶναι καὶ τὰς μορφάς, αὐτὰ δὲ πρὸς αὐτὰ διαφέρειν τούτοις ἐξ ὧν εἰσὶ καὶ θέσει καὶ τάξει τούτων* .... (*οἱ περὶ Ἀναξαγόραν λέγουσι*) *ταῦτα μὲν* (*σάρκα καὶ ὀστοῦν και τὰ τοιαῦτα τῶν ὁμοιομερῶν*) *ἁπλᾶ καὶ στοιχεῖα, γῆν δὲ καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ ἀέρα σύνθετα.*

componentes, σπέρματα vel χρήματα vocaverit. Τὰ ὁμοιομερῆ nondum apud Platonem invenitur: ab Aristotele primo est usurpatum: ἡ ὁμοιομέρεια et αἱ ὁμοιομέρειαι apud posteriores tantum reperiuntur scriptores. — Sed in re tam obscura, difficile est probare, quid verum sit. Hoc autem nos ostendisse si videmur, nihil esse, quod cogat, ut statuamus poetam Clazomenio philosopho ipsi studuisse, sed contra verisimile esse, eum, quae ex illo profert ex eodem fonte, quo cetera, hausisse, iam satis erit. Hoc tantum insuper animadvertamus, primum, Lucretium (per iocum ut nobis videtur) minime recte putare Anaxagoram docuisse „ossa e pauxillis atque minutis ossibus et de pauxillis atque minutis visceribus viscus gigni" (vs. 835, 36) quod Anaxagoras non docuit; deinde eum errare putantem (864 seqq.) Anaxagoram omnes res quascumque e sui generis atomis componere, cum Aristotele teste (vide notam supra) et Plutarcho (plac. I. 3. ὁμολογητέον ἐστὶν ὅτι ἐν τῇ τροφῇ τῇ προσφερομένῃ πάντα ἐστὶ τὰ ὄντα) docuerit, etiam esse res, quae commixtiones sint plurium elementorum. Num haec vitia ex Epicuro hauserit, dubitamus.

Quae porro contra Empedoclem scripsit praeterimus, quoniam in sequentibus libris saepe opportunitas nobis dabitur inquirendi, num ei philosopho noster suo marte operam dederit, quod si ita est, cuiusmodi sint quae ex illo sumpserit.

Antequam ad librum secundum, de mundi ex atomis compositione agentem, transeat poeta, duas res tractat, quae transitum ad sequentia constituunt: primo enim se demonstraturum esse dicit et materiem et vacuum infinita esse [1]; deinde nonnullorum oppugnat doctrinam, omnia in medium niti docentium. — Ut prius illud probet incipit ab infinito spatio universi. „Omne quod est igitur (scil. spatium) nulla regione viarum finitum est" (vs. 958); nam 1° sin ita esset, definire τὸ omne deberet aliud quoddam, quod tamen non potest, ut intellegit quisque, quoniam praeter rerum summam

---

Hoc tamen apparet ex utroque, Anaxagoram distinxisse res ex eiusdem generis atomis compositas ab iis, quae e varii generis atomis sunt ortae: cibus exempli gratia huius generis est, ossa, capillus, vena, cett. sunt illius.

[1]) Plut. plac. I, 3, 28 εἶναι δὲ καὶ αὐτὸ τὸ κενὸν ἄπειρον, καὶ τὰ σώματα ἄπειρα.

nihil est [1]). 2° Si quis ad ultimos fines universi progressus, inde hastam torqueret, aut porro ea volaret, aut alio corpore retineretur: utique universum eo loco non esset finitum. 3° Si non esset infinitum spatium, omnis materies, gravitate depressa, iam diu confluxisset ad imum locum, ubi se cumulasset itaque omnem motum, quem tamen videmus, cohibuisset. — At si vacuum est infinitum, materies quoque (= rerum summa vs. 1008) infinita esse debet: sic voluit natura, „quae corpus inani et quod inane autem est finiri corpore cogit, ut sic alternis infinita omnia reddat" [2]). Si multitudo atomorum infinita non esset, 1° nihil „exiguum posset horai sistere tempus, nam dispulsa suo de coetu materiai copia ferretur, magnum (infinitum) per inane soluta"; 2° mundus non esset, nam omnes res tempore diminuuntur atomis avulsis, cibo igitur iis opus est, ne intereant: quod quoniam ex aeterno tempore iam factum est, infinita opus est undique copia materiae. — Dissentiunt inter se viri docti in toto hoc loco explicando; Munrous (ad 988) censet, poetam inde a vs. 958 usque ad 984 demonstrare, universum, id est summam totius spatii et materiae, infinitum esse, deinde a vs. 984 spatium per se infinitum esse, denique inde a vs. 1008 infinitam materiae naturam. Haec explicatio cum Epicuri verbis concinere videtur [3]), sed tamen mentem Lucretii, ni fallimur, exprimere putari

---

[1]) Fere iisdem verbis Epic. apud D. L. X, 41 . . *τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι, τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει· τὸ δ'ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται* (vs. 961, ut videatur quo non longius haec sensus natura sequatur). Hic autem deesse nonnulla verba nobis videntur huiusmodi: *παρὰ δὲ τὸ πᾶν οὐθὲν ἔστιν* (cf. 39) *παρ' ὃ ἂν θεωρούμενον τὸ ἄκρον αὐτοῦ φανείη* (Lucr. I, 963, 1001, Cic. de Div. II, 103, quod finitum est, inquit, habet extremum . . . quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus . . . . at quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus . . . nihil igitur cum habeat extremum, infinitum sit, necesse est.): — *ὥστε οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει, πέρας δ'οὐκ ἔχον, ἄπειρον ἂν εἴη καὶ οὐ πεπερασμένον.*

[2]) Lucret. I, 1009 seqq. Sext. Emp. adv. Mathem. ι. . *ὁτὲ μὲν γάρ φησιν (ὁ Ἐπίκουρος) ὅτι ἡ τῶν ὅλων φύσις σώματά ἐστι καὶ κενὸν, ὁτὲ δὲ, ὅτι τὸ πᾶν κατ' ἀμφότερα ἄπειρόν ἐστι, κατὰ τὰ σώματα καὶ τὸ κενὸν, τουτέστι κατά τε τὸ πλῆθος τῶν σωμάτων καὶ κατὰ μέγεθος τοῦ κενοῦ, ἀντιπαρηκουσῶν ἀλλήλαις τῶν καθ' ἑκάτερον ἀπειριῶν.*

[3]) Vs. 958—84 = *τὸ πᾶν ἄπειρον, κ. τ. ἑ* pag. sup. not. 2; 984 sqq. = *καὶ μὴν καὶ . . . κ. τ. ἑ.* infra not. 3.

non potest. Epicurus sic ratiocinatur [1]). Universum est infinitum, sed hoc universum duobus modis intellectui se ostendit: ut spatium sive vacuum, quod rebus locum praebet, in quo stent et moveantur, atque ut atomos et corpora ex his constructa, quae hoc spatium complent. Utroque nomine infinitum est: nam de magnitudine duarum rerum tria cogitari possunt: aut utramque esse infinitam, aut alteram utram, aut nullam. Tertium tamen hîc excluditur: nam si utrumque, spatium et materies, esset finitum, universum infinitum esse non posset. Manent igitur duo priora. At alterum rationi repugnat, ut demonstratur: relinquitur igitur primum. Hanc tamen rationem Lucretius (984 seqq.) non accurate secutus est, sive quod in referendis argumentis suam iniit viam, sive quod in aliis libris Epicurus aliter rem exposuit. Poeta enim, quod iam diximus, de infinita natura materiae et vacui se dicturum esse ipse dicit vs. 951—957. Mira ergo turbatio esset si deinde pergeret per coniunctionem *igitur* annectens ad superiora domonstrationem de infinitate universi [2]). Satis autem perspicue indicavit se vacuum absolutum, ut ita dicam, „seu locum ac spatium res in quo quaeque geruntur" hic ante oculos habere, quod si non praeterimus, facile omnia explicantur. „Omne quod est" (vs. 958) enim referi-

---

1) Post locum sub not. 2. praeced. pag. sic pergit: *καὶ μὴν καὶ τῷ πλήθει τῶν σωμάτων ἄπειρόν ἐστι τὸ πᾶν, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ. εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα καὶ συστέλλοντα κατὰ τὰς ἀνακοπάς· εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα, ὅπου ἂν ἔστη.* Sambuci coniecturam *συστέλλοντα* secutus sum, pro *στέλλοντα.*

2) Munrous pag. 397: „but first for the sake of completeness he states in our present section that the universe or *omne* or *τὸ πᾶν* is infinite. There can of course properly speaking be no proof of this as Lucr. has wisely seen: it must from the nature of the case be shewn by a series of identical propositions, call them as you please definitions postulates or axioms." Non video *igitur* hanc significationem, quam vir doctus vocabulo tribuit, unquam habere, neque ullo complemento opus esse, si iam probatur et materiem et vacuum infinita esse, neque tandem ullo modo hanc demonstrationem natura discrepare ab aliis, quas Epicurus et Lucretius in huiusmodi argumentationibus proferunt, cum iisdem *probare* sit ostendere ratione non refelli quod ponitur aut rationi repugnare quod negatur.

mus ad illud „spatium omne" e vs. 955, 56 atque idem opinamur esse atque „omne quod est spatium" e vs. 969. Nam quod ad *magnitudinem* attinet, universum sive summa (963) par est spatio, materies sive atomi *numero* est infinita: at illud spatium alia re finiri non potest (vs. 961 *ut videatur* seqq.), nam locus, quem occuparet haec res, pars esset totius spatii: extra totum spatium (*summam* 963 *omne* 1001) nihil est. Eodem modo quae sequuntur explicari possunt. Munroi interpretatio (p. 398) „the reasoning therefore is, granting for the moment space to be finite, yet none the less the general conclusion will be true that the omne is infinite", quî defendi possit non video. Infinitum universum nonne infinitum locum occupat, et hanc ob rem infinitum spatium ponit? Fallit hunc virum doctum, si quid video, conturbatio vacui absoluti et vacui artiore sive strictiore sensu dicti, quam Lucretius, ut supra iam diximus, non semper evitavit. Accuratius poeta hoc vacuum absolutum expressit, exempli gratia vs. 984, ubi id nominat „omne spatium summai totius" id est totum universum, si locum quidem respicimus.

Versus 998—1001 ab hoc loco alieni sunt, quibus cum Munroo loco, quem nunc occupant, motis 1002 seqq. conclusionem continent eorum quae praecedunt. Inde a vs. 1008 tum poeta demonstrat materiem quoque infinitam esse. Vs. 1012 est vitiosus. Poeta, qui paullo ante dixit naturam *cogere* „corpus inani et quod inane autem est corpore finiri" non potuit hic casum ponere, qui illis verbis repugnat. Praeterea doctrina Epicuri vetat infinitum esse spatium materiae expers. Non possunt igitur hi versus (1012 seqq.) cum superioribus iungi eo modo, quo Munrous id facit, qui minima distinctione (,) eos separat a praecedentibus. Lachm. lacunam indicat post vs. 1012, Madvigius et Marullus post 1013. Hi recte censuerunt, ni fallimur. Attamen plus uno versu non deesse nobis videtur, si antea levem emendationem adhibemus. Nam si vs. 1012 pro *aut etiam* scribimus *nam quoniam* et deinde post 1013 inserimus unum versum huiusmodi „ni infinita esset summa undique materiai", omnia perspicua esse credere ausim et cum mente Lucretii congruentia. Nunc enim ita conveniunt Lucretii

cum Epicuri argumentis in D. L. X. 41 et 42 expositis ut vs. 1008—1051 respondeant hisce verbis: „*εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα*, cum inde a vs. 958—1008 (omissis tamen 998—1001 eo loco, quo nunc leguntur et cum Munroo post 983 scriptis) demonstretur vacuum esse infinitum, iisdem fere argumentis atque apud Epicurum (vide supra). Illud tamen Epicuri argumentum *εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἂν ἔστη* (coni. Scaligeri pro *ἐνέστη*) a Lucretio praetermissum esse videtur, quia ponit infinitam esse materiem, quod poeta nondum ostenderat, cum primum vacuum esse demonstrasset. Infinito tamen spatio rebus opus esse dicit vs. 1006 et 7 „usque adeo passim patet ingens copia (spatii) rebus, finibus exemptis, in cunctas undique partes.

Postquam sic de atomorum natura, de materia et vacuo satis copiose exposuit poeta Epicuri doctrinam, ut hac „parva perductus opella" Memmius ipse, alio ex alio clarescente; quae iam quaerenda restent sibi explicare possit [1]), doctrinam refellit Stoicorum, qui omnia in medium niti et hanc ob rem contineri dicebant. Haec opinio enim si mentem obsidet, non poterit recte intellegere amicus, quae in sequente libro de atomorum motu et mundi creatione dicentur. Nos, autem cum ad quintum librum amplius de hoc *τόπῳ* nobis disserendum sit, hosce versus hic praeterimus, nexu cum superioribus et sequentibus indicato.

---

[1]) I. vs. 1114 sqq. Cum his conferenda sunt ipsius Epicuri verba in primae epistolae fine D. L. X, 83 ut similitudo appareat.

CAPUT SECUNDUM.

DE MUNDI EX ATOMIS ORTU.

(Lucr. lib. II).

Explicaturus est poeta quomodo omnia ex atomis facta sint et in eas resolvantur [1]). Materies non sua vi cohaeret; videmus enim corpora tempore deminui et particulas dimittere: ita perpetuo crescunt et decrescunt. Moventur autem atomi [2]) aut sua gravitate aut ictu extrinsecus illato [3]), quo fit ut inter se concutiantur et rursus resultent [4]). At quoniam neque imum est in vacuo nec finis, per aeternum tempus hic motus durabit. Hisce ictibus porro nonnullae atomi stipantur minimis intervallis interpositis, aliae maioribus; priores illae constituunt dura, hae autem molliora et minus gravia corpora [5]). Praeterea multa primordia per inane vagantur quae nondum sunt congregata: haec tamquam cibus sunt corporibus. Horum motus et tenuitatis imaginem nobis praebent corpuscula, quae in solis radiis moveri

---

[1]) D. L. X, 42, *τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστά, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται καὶ εἰς ἃ διαλύονται....*

[2]) l. l. 43 *κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι.*

[3]) Stob. Ecl. I, 366, *κινεῖσθαι δὲ (φησὶν ὁ Ἐπίκουρος) τὰ ἄτομα τοτὲ μὲν κατὰ στάθμην, τοτὲ δὲ κατὰ παρέγκλισιν, τὰ δὲ ἄνω κινούμενα κατὰ πληγὴν καὶ ἀποπαλμόν.* D. L. X, 61, *ἡ εἰς τὸ πλάγιον διὰ τῶν κρούσεων φορὰ οὐθ' ἡ κάτω διὰ τῶν ἰδίων βαρῶν...*

[4]) D. L. X. 44, *ἥ τε στερεότης ἡ ὑπάρχουσα αὐταῖς κατὰ τὴν σύγκρουσιν τὸν ἀποπαλμὸν ποιεῖ.*

[5]) D. L. X, 43, *καὶ αἱ μὲν μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διίστανται, αἱ δ' αὖ τὸν παλμὸν ἴσχουσιν, ὅταν τύχωσιν ἐπὶ τὴν περιπλοκὴν κεκλιμέναι ἢ στεγαζόμεναι παρὰ τῶν πλεκτικῶν.*

videmus: eodem modo enim omne spatium primordiis est repletum, quae perpetuo moventur, etsi non videmus quibus plagis sint excitata. Moventur igitur primordia primum per se et separatim; deinde nonnulla conciliantur ita ut „parvissima" corpora exsistant, quae dum moventur, perpetuo aliis atomis augentur, ita ut tandem haec corpora nascantur, quae nunc videmus [1]). Hic motus atomorum nunquam initium habuit neque unquam cessabit; causa eius enim est gravis natura atomorum et inanis natura, quae iis perpetuo locum praebet per quem moveantur, ex his igitur „initium primum capit res quaeque movendi" [2]). Materies et motus secerni non possunt.

Quanta autem celeritate atomi moveantur patebit, si cum ea solis radiorum mobilitatem conferimus, qua illi minima temporis parte omnia in terra illustrant: at atomi multo citius moventur cum nec corpora complexa sint ut radii, nec per medium quoddam sed per inane cadant, ita ut nihil iis resistat [3]). Poeta porro [4]) censet esse quaedam phaenomena, quae discipulum a vera ratione avertere possint: hanc ob rem eum monet nullam rem sua vi sursum ferri posse; quae repugnare contra hanc opinionem videntur sagaci mente explicat, argumentis allatis quorum similia apud Epicurum non invenimus.

Mirum nobis videtur nullum multorum vitiorum Epicuri doctrinae a Lucretio animadversum et evitatum esse: quod certissimo nobis est indicio eum magistri philosophiam tantum interpretatum esse, quod praeterea perspicuum est e locis infra a nobis laudatis. Epicurus docet atomos perpetuo cadere per vacuum, sed quomodo id concinere possit cum ceteris, quae docet, non perspici-

---

[1]) Stob. Ecl. I, 366, Ἐπίκουρός (φησιν) ἀπερίληπτα εἶναι τὰ σώματα, καὶ τὰ πρῶτα μὲν ἁπλᾶ· τὰ δὲ ἐξ ἐκείνων συγκρίματα βάρος ἔχειν.

[2]) Lucr. I, 383, II, 92. Epic. D. L. X, 44, ἀρχὴ δὲ τούτων οὐκ ἔστιν, αἰτιῶν τῶν ἀτόμων οὐσῶν καὶ τοῦ κενοῦ.

[3]) D. L. X, 46 καὶ μὴν καὶ ἡ δια τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη πᾶν μῆκος περιληπτὸν ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ.

[4]) Vs. 165—184 huc non referendi sunt. Cf. Lachm. (comm. p. 84), cui assentior, quamquam fateri cogor me non intellegere, qui ille alibi affirmare possit librum primum a poeta absolutum esse (cf. comm. ad. I, 922), qui liber, ut ostendimus, iisdem laborat vitiis quibus ceteri.

mus. Cadunt enim atomi secundum lineam rectam vel quae paulum ab ea declinat. Sed atomorum infinitus est numerus, complent totum spatium ita ut nusquam sit earum expers vacuum. Quodsi ita est, atomi cadere non possunt, nam quod cadit spatium habere debet per quod cadit, id quod ipse Epicurus et Lucretius affirmant. At $\infty : \infty = 1$, spatium igitur per quod cadant atomi non adest. Atomi re vera in vacuo se movere possunt sed tantummodo, si de toto numero sermo est, in circulum, volvere se debent circa axem. Democritus, qui in rebus mathematicis longe longeque Epicurum superabat, rectam docuit doctrinam, cum teste Diogene Laertio [1]) affirmaret: *καὶ τὰς ἀτόμους ἀπείρους εἶναι κατὰ μέγεθος καὶ πλῆθος, φέρεσθαι δ' ἐν τῷ ὅλῳ δινουμένας.* Iurene dixit Cicero Gargettium ea, quae ab Democrito mutuata corrigere velit, depravare videri? [2]) In idem vitium poeta Romanus quoque irruit. Nec non in gravissimum illud Epicuri vitium, quo ipse principium suae doctrinae (secundum quod nihil e nihilo fieri possit, sed omnia quae fiant causam habeant) subvertit, poeta philosophus noster etiam incidit. In vacuo omnia corpora aeque celeriter cadunt, quoniam nihil est, quod iis resistat [3]). Quodsi ita est, atomi inter se nunquam concurrere possunt, sed secundum lineas *παραλλήλους* cadant necesse est. Epicuro, ut hoc vitium effugeret, necesse videbatur statuere atomos certo tempore, nescimus ubi et quando, a linea recta declinasse perpaulum „nec plus quam minimum" [4]) ita ut inter se concuti possent. Lucretius et Epicurus non dicunt, num omnes atomi declinent (quod e contextu sequi vide-

---

[1]) IX: 44.

[2]) De Fin. I: 6, 17 et 18, 20 et 21, cett.

[3]) Vol. Hercul. II, tom. II, 160 *ἰσοταχε(ῖς) εἰσι αἱ (ἄ)τομοι.* D. L. X, 61: *καὶ μὴν καὶ ἰσοταχεῖς ἀναγκαῖον τὰς ἀτόμους εἶναι, ὅταν διὰ τοῦ κενοῦ εἰςφέρωνται μηδενὸς ἀντικόπτοντος. οὔτε γὰρ τὰ βαρέα θᾶττον οἰσθήσεται τῶν μικρῶν καὶ κούφων ὅταν γε δὴ μηδὲν ἀπαντᾷ αὐτοῖς. οὔτε τὰ μικρὰ τῶν μεγάλων, πάντα πόρον σύμμετρον ἔχοντα, ὅταν μηθὲν μήτ' ἐκείνοις ἀντικόπτῃ.* Ex hoc notabili placito videre licet, quantum veritatis in physica doctrina quoque sola ratio invenire possit et quamdiu eiusmodi inventa iam nota esse possint, antequam experimentis probentur.

[4]) II, vs. 244.

tur) an nonnullae tantum (quod unum concursum potest efficere)[1]. Denique potissimum ad liberum arbitrium explicandum necesse est atomi declinent[2]). Diserte et copiose hanc rem pertractat poeta quasi eius intersit hoc cum maxime demonstrare et hominis libertatem contra eos defendere qui, ut Stoici, severum fatum regnare dicebant, qui sempiternum dominum, quem dies et noctes timerent in hominum cervicibus imposuerunt (Cic. de nat. deor. I. 20, 54.). Ipse dixit hic nexum causarum abrumpi. Libera nostra voluntas causam habere debet, unde nobis sit innata, nam nihil fit e nihilo: haec causa est atomorum declinatio. Ultro autem causae investigari non possunt. Cardo quaestionis igitur in alia re tantum ponitur: differt poeta difficultates, quas solvere nequit. Alii philosophi ad hanc quaestionem solvendam aliud invenerunt neque finem assecuti sunt. Facillimam eorum doctrinam, qui liberum motum, ergo animam ipsis atomis attribuerunt, Epicurei, cum praeter materiem et inane nihil esse putarent et ipsum animum ex insensilibus componerent atomis, probare non poterant et plus semel Lucretius refutavit[3]). Sed tamen ipsi fecerunt idem. Ipsius Lucretii verba, quibus adversariorum opinionem irridet, in hanc partem doctrinae quadrant[4]) „consilio primordia rerum ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt". Est hic cuiusque philosophiae locus vulnerabilis.

Tres igitur atomis motus adscribit poeta, qui fiunt gravitate (κατὰ στάθμην), declinatione (κατὰ παρέγκλισιν), plagis (κατὰ πληγήν, qua atomi „in magnis intervallis recursant" vs. 106, κατὰ παλμὸν vel ἀποπαλμόν, quo „exiguis intervallis resultant" vs. 101). Hi

---

[1]) Neque e Ciceronis verbis de Fin. I, cap. VI, 19 perspici potest. Iure Tullius animadvertit hoc re vera esse quasi provincias atomis dare et contra ipsam doctrinam repugnare.

[2]) Epicurus idem docuit Deor. Nat. I, cap. XXV, 69: „Velut Epicurus, cum videret si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus et necessarius, invenit, quo modo necessitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere et gravitate directo deorsus feratur, declinare paululum."

[3]) Cf. II, 973, sqq.

[4]) I, 1021.

tamen motus oculis videri non possunt, quoniam ipsae atomi sunt invisibiles, „praesertim cum, quae possimus cernere, celent saepe tamen motus, spatio diducta locorum" ut „pabula laeta in colli tondentes lanigerae pecudes", quae, cum longe absumus, immobiles esse videntur [1]). Hic animadvertas Lucretium prorsus ignorare discrimen, quod est inter quietem, quae dicitur relativa, et absolutam, quod discrimen ne Epicurus quidem nosse videtur, quo factum est, ut suae doctrinae falsam protulerint interpretationem. Si atomi perpetuo cadunt et dum cadunt omnes, quae cogitari possunt, subeunt complexiones et congregationes, omnia quae videmus corpora ex atomis congregata, nobis non hanc ob rem quiescere videntur, quia atomi tam parvae sunt, ut visum effugiant: nam etsi hoc verum est, tamen complexiones atomorum eosdem servantes motus, quos singulae atomi, videri deberent: sed quia omnia aeque celeriter ad lineam cadunt, hanc ob rem hi motus tantummodo videntur, qui ab illo communi motu decedunt. Praeterea hic Lucretius qui, antea iam dixit [2]) in infinito vacuo non esse centrum, num in infinito spatio supra sit et infra, sursum et deorsum et quid sit ad lineam

---

[1]) V. 315, seqq. D. L. X, 56: *οὐθ' ὅπως ἂν γίνοιτο ὁρατὴ ἡ ἄτομος ἔστιν ἐπινοῆσαι.*

[2]) In fine libri I.

[3]) D. L. X, 60. Locus est corruptus. In codice Leidensi leguntur haec: *καὶ μὴν καὶ τοῦ ἀπείρου ὡς μὲν ἀνωτάτω ἢ κατωτάτω, οὐ δεῖ κατηγορεῖν· τὸ ἄνω ἢ κάτω μέντοι τὸ ὑπὲρ κεφαλῆς· ὅθεν ἂν τὸ μὲν εἰς ἄπειρον ἄγειν ὂν, ̓μηδέ ποτε φανεῖσθαι τοῦτο ἡμῖν· ἢ τὸ ὑποκάτω τοῦ νοηθέντος εἰς ἄπειρον ἅμα ἄνω τε εἶναι καὶ κάτω πρὸς τὸ αὐτό· τοῦτο γὰρ ἀδύνατον διανοηθῆναι· ὥστε ἔστι μίαν λαβεῖν φορὰν τὴν ἄνω νοουμένην εἰς ἄπειρον· καὶ μίαν τὴν κάτω ἂν καὶ μυριάκις πρὸς πόδας τῶν ἐπάνω τὸ παρ' ἡμῶν φερόμενον τοὺς ὑπὲρ κεφαλῆς ἡμῶν τόπους ἀφικνῆται, ἢ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῶν ὑπὸ κάτω τὸ παρ' ἡμῶν κάτω φερόμενον· ἡ γὰρ ὅλη φορὰ, οὐθὲν ἧττον ἑκατέρα ἀντικειμένη ἐπ' ! ἄπειρον νοεῖται.* Paucis mutatis sic opinamur legendum esse: *καὶ μὴν κατὰ τοῦ ἀπείρου ὡς μὲν ἀνωτάτω ἢ κατωτάτω οὐ δεῖ κατηγορεῖν τὸ ἄνω ἢ κάτω* (de infinito praedicari potest in eo esse supra et infra, non tamen supremum et infimum) · *ἴσμεν τοι τὸ ὑπὲρ κεφαλῆς, ὅθεν ἂν στῶμεν, εἰς ἄπειρον ἄγειν ἄνω, μηδέ ποτε φανεῖσθαι τὸ ἀνωτάτω ἡμῖν, μηδὲ νοητέον τὸ ὑποκάτω τοῦ νοηθέντος εἰς ἄπειρον ἅμα ἄνω τε εἶναι καὶ κάτω πρὸς τὸ αὐτό· τοῦτο γὰρ ἀδύνατον διανοηθῆναι* (priore parte igitur dicit supremum non esse, quod idem de infimo valet: altera vero, quod infra sit non simul dici posse et supra

cadere explicare debuerat, ut ipse Epicurus fecit [3]). Hoc tamen praetermittens, ad atomos revertit. Natura nihil unquam ad exemplum quoddam facit et hanc ob rem nunquam plane sunt similia, quae ab ea creantur [1]): non mirum est ergo atomos, quae infinitae sint numero, forma inter se differre [2]). Inter omnia animalia nunquam par invenies, quod plane sit simile [3]). Sic aeterna est varietas in omnibus, quae natura creavit, cur in atomis non esset?

Multa praeterea phaenomena tum solum explicari possunt si atomos multas habere formas statuimus. Fulmen, exempli gratia, tam celere est quia constat e minoribus et levioribus atomis

---

esse ad unum et idem corpus: eorum igitur refellit opinionem, qui absolutum esse supra et infra negant, et qui *ἀντίποδας* esse credunt: hanc ob causam de *τῷ ὑποκάτω* solo loquitur neque de *τῷ ἄνω*)- *ὥστ' ἔστι μίαν λαβεῖν φορὰν τὴν ἄνω νοουμένην εἰς ἄπειρον, καὶ μίαν τὴν κάτω, ἂν καὶ μυριάκις ἐπὶ* (conveniens cum *ἐπὶ τὴν κεφαλὴν*) *τοὺς πόδας τῶν ἐπάνω τὸ παρ' ἡμῶν φερόμενον πρὸς* (quod convenit cum *κάτω* in sequente sententia) *τοὺς ὑπὲρ κεφαλῆς ἡμῶν τόπους ἀφικνῆται ἢ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῶν ὑποκάτω τὸ παρ' ἡμῶν κάτω φερόμενον. Ἡ γὰρ ὅλη φορὰ οὐδὲν ἧττον ἑκατέρα ἑκατέρᾳ ἀντικειμένη ἐπ' ἄπειρον νοεῖται.* E sua mente recte iudicat Epicurus. Ex hisce verbis patet, quod etiam in Lucr. I 1059 legitur, eum vulgarem Graecorum opinionem secutum esse, qui *ἀντίποδας* esse negabant, etsi praeterea de mundi forma nihil statuit. *Τοὺς ὑποκάτω* non esse *ἀντίποδας* patet ex eo quod dicit, lineam a nobis deorsum directam eorum capita (non pedes) attingere et lineam a capite nostro sursum protentam ad *τῶν ἐπάνω* pedes (non capita) pervenire. Unde sequitur lineas sursum protentas omnibus universum incolentibus *παραλλήλους* esse et oppositas iis, quae ad pedes directae sunt.

1) Idem principium D. L. X 74. Cum vs. II 377 seqq. et 342 seqq. cf. haec verba: „Predigen uns nicht alle *neueren* (?) Untersuchungen, dass alle *physischen Merkmale* grossen Schwankungen ausgesetzt sind, dass überhaupt die belebten Geschöpfe *nicht nach starren Urformen sich entwickeln*, sondern beständige Umbildungen erleiden? Oscar Peschel, Völkerk. 3e Aufl. pag. 61.

2) D. L. X 42 *τὰ ἄτομα τῶν σώματων — — — — ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων.*

3) Versu 342 Cod. Leid. A praebet: *praeterea* cum tamen *ea* a manu correctrice scriptum esse videatur. Perspicue Lachm. ostendit *praeterea* sanam non esse lectionem: proponit autem *parturiunt*, quod probare non possum, etiam quia de prole animalium hic sermo non est sed versu 349 demum. Munrous legit *praetereat*, quod etiam minus placet. Propono verbum *perlustra* legamus, quod cum sententia convenit et versui 347 respondet, tum lege: *mutasque*, *ferasque*, *varias*, *horum* (quamquam *quorum* etiam servari potest).

quam ignis, quo fit ut igne sit penetralius, quod Democritus iam ostendit: τὸ κεραύνιον πῦρ ἀκριβείᾳ καὶ λεπτότητι θαυμαστόν ἐστιν [1]). Porro e modo quo sensus nostri atomis afficiuntur, earum forma cognosci potest; quae res tactui vel gustui vel odoratui sunt iucundae, earum primordia ea forma esse debent, ut manus, linguam, nares non laedant, levia igitur et rotunda; quaecumque contra ingrata sunt, habent atomos hamatas, uncis praeditas. Praeterea sunt aliae quae angellos habent, quibus titillare possunt nec laedunt. Quae dura ac spissa sunt constant ex hamatis et perplexis atomis: quae fluida sunt e rotundis et levibus: quae amara et tamen fluida sunt ex utroque genere sunt facta. Si amaram maris aquam percolamus per terram, dulcior fit aqua propterea, quia atomi acerbae, uncis praeditae, terra retinentur. Haec omnia ingeniose inventa ex Epicuri doctrina sumta esse, quisque facile videbit ex hisce Epicuri verbis: D. L. X: 42 οὐ (γὰρ) δυνατὸν γενέσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς ἐκ τῶν αὐτῶν σχημάτων et 53, 54: καὶ μὴν καὶ τὴν ὀσμὴν νομιστέον . . . . . οὐκ ἄν ποτε πάθος οὐθὲν ἐργάσασθαι, εἰ μὴ ὄγκοι τινὲς ἦσαν ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀποφερόμενοι σύμμετροι πρὸς τὸ τοῦτο τὸ αἰσθητήριον κινεῖν, οἱ μὲν τοῖοι τεταραγμένως καὶ ἀλλοτρίως, οἱ δὲ τοῖοι ἀταράχως καὶ οἰκείως ἔχοντες. Epicurus autem Democritum secutus est (Cf. Democr. apud Müll. fragm. pag. 362 περὶ χυλῶν).

Non tamen infinitus numerus est figurarum atomorum : nam si ita ita esset, infinitae magnitudine essent atomi. Fac enim constent e 3 vel 4 vel 5 minimis partibus, de quibus in libro primo expositum est. Hae si variis modis, omnibus permutationibus adhibitis, ordinentur, numerum definitum efficiant necesse est figurarum. Quod si plures vis formas, necesse est addas alias minimas partes, sed tum etiam atomi maiores fient: ergo „formarum novitatem corporis augmen subsequitur" (495), sed si infinitus est figurarum numerus, atomi etiam immani magnitudine erunt. Praeterea si infinitus esset figurarum numerus, non certus esset modus in rebus, aliae semper aliis forent pulcriores vel taetriores.

---

[1]) Müllach, fragm. Democr. pag. 359, 11.

Hanc sententiam apud Epicurum quoque invenimus: *ταῖς διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροι (εἰσιν ἄτομοι) ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι* [1]. Eum eiusdemmodi argumentum adhibuisse apparet ex eo, quod Diogenes Laertius ad verba, quae praecedunt, probanda affert: *οὐδὲ γάρ, φησὶν ἐνδοτέρω, εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τυγχάνει* [2].

Cum autem numerus figurarum sit finitus, numerus atomorum cuiusque generis infinitus esse debet [3]. At fortasse obicies, quaedam esse animalia quae rara inveniantur et inde sequi atomorum, e quibus illa facta sint, numerum non infinitum esse. Respondet, ni infinitus esset horum numerus, in infinito spatio nunquam has atomos ita convenire potuisse, ut haec animalia orta essent. In mediis aridioribus hisce argumentationibus subito profundus ille dolor, qui poetam vexasse videtur, eius pectus corripit ita, ut uno aspectu totam perlustret miseriam non hominis solius, sed totius mundi, et omnium rerum vicissitudinem ante oculos sibi ponat. Nec mors nec vita unquam per se perpetuo regnant sed alternantes modo superant modo superantur: quod quisque dies testatur, quoniam „nec nox ulla diem neque noctem aurora secutast, quae non audierit mixtos vagitibus aegris ploratus, mortis comites et funeris atri" [4].

Nulla porro res ex uno tantum constat genere atomorum; quae maxima et robustissima sunt plurima habent genera atomorum. Haec primordiorum varietas in quoque corpore etiam probatur eo quod ex eodem cibo tam diversa animalia crescunt. Etenim in herba et aqua, quibus aluntur, plura genera atomorum sunt (667). Quaedam elementa communia esse possunt et tamen res diversae. Eodem modo in versibus nostris variis modis litterae inter se iunguntur ita ut quaedam communes sint, sed non *omnia* eadem [5]. Attamen non fortuito nunc conveniunt in res atomi:

---

1) D. L. X, 42.

2) Cf. 56 *πᾶν δὲ μέγεθος ὑπάρχον οὔτε χρήσιμόν ἐστι πρὸς τὰς τῶν ποιοτήτων διαφοράς. ἀφῖχθαί τε μέλλει καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁρατὴ ἄτομος.*

3) Vs. 529. Optime restituit locum Munrous cum *ostendam* mutarit in *ostendens.* Ceterum cf. D. L. X, 42 *καὶ καθ' ἑκάστην δὲ σχημάτισιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι.*

4) II, 578.

5) II, vs. 688. Cf. 1012 sqq. „Quin etiam refert nostris in versibus ipsis cum quibus et quali sint ordine quaeque locata, si non omnia sunt, at multo maxima

nam e suo quaeque semine res nunc nascitur et suum sibi assumit cibum hoc in mundo, postquam semel fortuito ortus est: quae non utiles sunt atomi in terram reiciuntur, quam ob rem portenta oriri non vides. Si atomi differunt, earum intervalla, connexus, pondera, motus quoque differunt, itaque quaeque res suum genus servare potest. Lucretius enim tantummodo loquitur de hoc atomorum ordine, qui casu quodam semel ita ortus, stabilitatem quandam habet. Num in anteriore vel posteriore alius mundi creatione alia possint oriri animalia est quaestio, quam hic non tractat. E doctrina autem sequitur hoc re vera fieri posse, quod Stoici nonnulli negabant.

Haec omnia, etsi paucitate reliquiarum non singula possumus conferre cum Epicuri placitis, tamen ita cum tota eius doctrina cohaerent et ex eius principiis sequuntur ut procul dubio ab eo sint exposita non minus quam quae in sequentibus versibus de colore atomorum refert. Atomos enim docet omni colore destitutas [1]: quod si tibi videtur in huiusmodi corpora nullus animi

---

pars est consimilis: verum positura discrepitant res." — In priore loco autem numerum spectat, in altero ordinem. Imaginem fortasse ex Epicuro sumptam esse, videre licet ex Aristotelis de Gen. et Corrupt. pag. 315, 2 (Bekker): „*Δημόκριτος δὲ καὶ Λεύκιππος ποιήσαντες τὰ σχήματα, τὴν ἀλλοίωσιν καὶ τὴν γένεσιν ἐκ τούτων ποιοῦσι, διακρίσει μὲ·· καὶ συγκρίσει γένεσιν καὶ φθορὰν, τάξει δὲ καὶ θέσει ἀλλοίωσιν. ἐπεὶ δ' ᾤοντο τἀληθὲς ἐν τῷ φαίνεσθαι, ἐναντία δὲ καὶ ἄπειρα τὰ φαινόμενα, τὰ σχήματα ἄπειρα ἐποίησαν, ὥστε ταῖς μεταβολαῖς τοῦ συγκειμένου τὸ αὐτὸ ἐναντίον δοκεῖν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ, κσὶ μετακινεῖσθαι μικροῦ ἐμμιγνυμένου, καὶ ὅλως ἕτερον φαίνεσθαι ἑνὸς μετακινηθέντος. ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ τραγῳδία καὶ κωμῳδία. γίνεται γραμμάτων.* Locum totum transscripsimus quia optime Epicuri et Lucretii opinionem exprimit.

[1]) Vs. 817. D. L. X, 44: *τὸ δὲ χρῶμα παρὰ τὴν θέσιν τῶν ἀτόμων ἀλλάττεσθαι ἐν ταῖς δώδεκα στοιχειώσεσί φησιν.* In ultima huius paragraphi parte plura insunt vitia: legitur enim: *αὕτη δ' ἡ φωνὴ τούτων πάντων μνημονευομένων τὸν ἱκανὸν τύπον ὑποβάλλει τῆς τῶν ὄντων φύσεως ἐπινοίας*, quae verba sensum non praebent. Epicuri est doctrina verba sigua esse ad notiones exprimendas, quae nascuntur iterato rerum adspectu, D. L. 33 *οὐδ' ἂν ὠνομάσαμέν τι μὴ πρότερον αὐτοῦ κατὰ πρόληψιν τὸν τύπον μαθόντες*, et antea: *ἅμα γὰρ τῷ ῥηθῆναι ἄνθρωπος εὐθὺς κατὰ πρόληψιν καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ νοεῖται προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων.* At quomodo tum vox atomus dici potest, cum atomos nunquam sensibus percipiamus? Plures ratiocinationes pluraque argumenta nos adduxerunt ut crederemus atomos esse utique earum proprietates cognosceremus; sunt igitur eius generis, quod § 62 dicit: *κατ'*

iniectus [1]) fieri posse, „procul avius erras", nam coloribus ad corpora percipienda non opus est. Colores perpetuo alii in alios mutantur; at atomi sunt immutabiles, ergo coloribus non possunt esse praeditae. Praeterea „nequeunt sine luce colores esse, neque in lucem existunt primordia rerum": ergo colores non habent. Quid autem ipsa lux sit, num ea quoque ex atomis constet, Lucretius non memorat neque quod novimus, Epicurus. Stob. Ecl. I. 336: *'Επίκουρος καὶ 'Αρίσταρχος τὰ ἐν τῷ σκότῳ χρήματα χρόαν οὐκ ἔχειν (φατόν).*

Pluribus adhibitis argumentis idem demonstrat. Colores ut alia corporum accedentia, e vario ordine et loco atomorum oriuntur; si ordinem mutamus, color quoque mutatur [2]).

Porro non solum colores non habent primordia verum etiam aliae qualitates, color, frigus, odor, sapor, sonitus iis desunt: haec enim omnia sunt mutabilia et hanc ob causam mortalia. Quae si atomis tribueremus, mutabiles eas redderemus, ergo mortales quoque, quo fieret ut ad nilum funditus omnia redirent [3]).

Omnia igitur, quae sunt, facta esse e primordiis, quae praeter magnitudinem, gravitatem, formam, nullam habeant qualitatem earum, quae ex iis constent rerum, secundum Epicurum ratio nos docet: omnes mutationes, tot tamque diversarum rerum

---

ἐπιβολὴν λαμβανόμενον τῇ διανοίᾳ. Itaque paullatim ideam vel notionem atomorum accepimus, quae nobis nunc semper praesto est vocem atomi dicentibus. Ergo scribendum esse censeo: *αὕτη δ' ἡ φωνὴ* (scilicit: atomus) *τούτων πάντων μνημονευομένων* (h. e. omnibus, quae de iis praedicavimus, qualitatibus) *τὸν ἱκανὸν τύπον* (quae cum emissa voce convenit) *ὑποβάλλει τῇ τῆς τῶν ἀτόμων φύσεως ἐπινοίᾳ.* Plerique codd. scribunt *ἐπινοίαις* pro *ἐπινοίας*: de *τῶν ὄντων* autem in hoc nexu sermo esse non potest.

1) Vs. 740. Vox latina pro Epicuri *ἐπιβολή.*

2) Plut adv. Colot. 7: Epicurus docet colores non esse *„συμφυῆ τοῖς σώμασιν ἀλλὰ γεννᾶσθαι κατὰ ποιάς τινας τάξεις καὶ θέσεις πρὸς τὴν ὄψιν".*

3) Vs. 842. D. L. X, 44: *φησὶ δ' ἐνδοτέρω μηδὲ ποιότητά τινα περὶ τὰς ἀτόμους εἶναι πλὴν σχήματος καὶ μεγέθους καὶ βάρους.* 54: *τὰς ἀτόμους νομιστέον μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προσφέρεσθαι πλὴν σχήματος καὶ βάρους καὶ μεγέθους καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματι συμφυῆ ἐστί. ποιότης γὰρ πᾶσα μεταβάλλει, αἱ δ' ἄτομοι οὐδὲν μεταβάλλουσιν, ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς οὐκ εἰς τὸ μὴ ὂν ποιήσεται οὐδ' ἐκ τοῦ μὴ ὄντος.*

omnia phaenomena ex „caecis" atomis earumque motu explicari possunt et debent; nullam deorum potestatem in hac rerum natura agentem videmus. Casu et fortuito per aeternum tempus post sexcenta milia atomorum complexionum tandem haec orta est, quam mundum vocamus. At quod semel uno loco factum est, iisdem causis agentibus, alibi aliis temporibus quoque fiet. Nam spatium est infinitum, diversi generis atomorum numerus quoque infinitus, motus atomorum est aeterus: ergo, cum eaedem causae agant, non hic et nunc solum est mundus, verum alibi et aliis temporibus quoque fuerunt, sunt, erunt mundi, id est congressus atomorum, qui aliquando oriebantur, aliquamdiu durant, denique dissolvuntur et intereunt.

Cur etiam discrimen esset inter mundos et alias minores res, quas similiter multiplices esse, oriri, esse, interire videmus [1]. Haec si compones cum Epicuri verbis D. L. X. 89, videbis Lucretium hanc doctrinam minus copiose exposuisse quam Epicurum: *ὅτι δὲ καὶ τοιοῦτοι κόσμοι εἰσὶν ἄπειροι τὸ πλῆθος ἔστι καταλαβεῖν, καὶ ὅτι ὁ τοιοῦτος δύναται κόσμος γίνεσθαι καὶ ἐν μετακοσμίῳ, ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα, καὶ ἐν πολυκένῳ τόπῳ* (ubi atomi non sunt compressae, ita ut multa loca inania relinquant; coniecturas Gassendi secutus sum: cod. Leid. *καὶ ἐν κόσμῳ καὶ μετακ . . . . ἐν πολυκ.*) *καὶ οὐκ ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ καὶ κενῷ* (lectionem codicum defendo; alii *ἀκένῳ*: non credo cum Epicuri doctrina eiusmodi magna loca inania convenire: perpetuo atomi et vacuum alternant: largo illo atomorum fluvio cadente loca magna inania admitti non possunt: ubique sunt atomi et vacuum, cf. I, vs. 1008 seqq.), *καθάπερ τινές φασιν, ἐπιτηδείων τινῶν σπερμάτων ῥυέντων ἀφ' ἑνὸς κόσμου* (Lucr. I. 1042) *ἢ μετακοσμίου ἢ καὶ ἀπὸ πλειόνων κατὰ μικρὸν προςθέσεις τε καὶ διαρθρώσεις (καὶ*

---

[1]) Lucr. I, 1021 seqq. II, 1048 seqq. Cf. D. L. X, 45, quae verba prorsus cum Lucretii concinunt. Accuratius Stob Ecl. I, 496: *Μητρόδωρος, ὁ καθηγητὴς Ἐπικούρου, φησὶν ἄτοπον εἶναι ἐν μεγάλῳ πεδίῳ ἕνα στάχυν γεννηθῆναι, καὶ ἕνα κόσμον ἐν τῷ ἀπείρῳ. Ὅτι δὲ ἄπειρος κατὰ τὸ πλῆθος δῆλον ἐκ τοῦ ἄπειρα τὰ αἴτια εἶναι. Εἰ γὰρ ὁ μὲν κόσμος πεπερασμένος, τὰ δ' αἴτια πάντα ἄπειρα, ἐξ ὧν ὅδε ὁ κόσμος γέγονεν, ἀνάγκη ἀπείρους εἶναι. Ὅπου γὰρ τὰ αἴτια πάντα, ἐκεῖ καὶ τὰ ἀποτελέσματα. Αἴτια δὲ ἤτοι αἱ ἄτομοι ἢ τὰ στοιχεῖα.*

μεταστάσεις, quod nonnulli praebent codices, Leidensis omittit) *ποιούντων ἐπ' ἄλλον τόπον, ἂν οὕτω τύχῃ, καὶ ἐπαρδεύσεις ἔκ τινων ἐχόντων ἐπιτηδείους ἕως τελειώσεως καὶ διαμονῆς, ἐφ' ὅσον τὰ ὑποβληθέντα θεμέλια τὴν προςδοχὴν δύναται ποιεῖσθαι* [1]). Lucretius de intermundiis nihil refert, neque de aliis, quae huc referenda sunt. Sic exempli gratia hi mundi omnes eadem sint forma necne, et paribus an imparibus distent intervallis, has quaestiones poeta philosophus praeterit [2]); doctrina autem requirit eos impares esse et imparibus intervallis distare. Haec doctrina, inquit poeta, sane vulgo mira videtur, sed non quaerendum est, mirumne aliquid videatur necne, sed solummodo num verum [3]), et haec doctrina est verissima. Ex animi persuasione hi versus et qui sequuntur a poeta sunt scripti; a vulgari doctrinae ratione longe absunt: est vatis sermo, quem pectus facit disertum. Huiusmodi autem contemplationes, quae in omnium rerum brevitatem et debilitatem cadunt, ut antea iam monuimus, cum maxime Lucretii animum tristitia et miro quodam gaudio simul affecisse videntur. Empedoclis carmen num hic poetam ob oculos habuisse statuendum sit, postea videbimus.

Postquam forte atomi in huius mundi primam complexionem confluxerunt, post „tempus genitale" cum prima initia huius or-

---

[1]) In sequente paragrapho (90) Epicurus oppugnat physicum quendam: *οὐ γὰρ ἀθροισμὸν δεῖ μόνον γενέσθαι οὐδὲ δῖνον ἐν ᾧ ἐνδέχεται κόσμον γίνεσθαι κενῷ κατὰ τὸ δοξαζόμενον ἐξ ἀνάγκης, αὔξεσθαι θ' ἕως ἂν ἑτέρῳ προσκρούσῃ, καθάπερ τῶν φυσικῶν καλουμένων φησί τις.* Hunc physicum Leucippum esse, quocum in aliis plurimis concinebat, videbis e D. L. IX, 6, 31: *γίνεσθαι δὲ τοὺς κόσμους οὕτω· φέρεσθαι κατ' ἀποτομὴν ἐκ τῆς ἀπείρου πολλὰ σώματα παντοῖα τοῖς σχήμασιν εἰς μέγα κενόν, ἅπερ ἀθροισθέντα δίνην ἀπεργάζεσθαι μίαν, καθ' ἣν προσκρούοντα καὶ παντοδαπῶς κυκλούμενα διακρίνεσθαι χωρὶς τὰ ὅμοια πρὸς τὰ ὅμοια.* Ex illo „*φέρεσθαι εἰς μέγα κενόν*" simul videre licet in § 89: *καὶ οὐκ ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ καὶ κενῷ* legendum esse, quod codex Leid. habet et nos supra defendimus, neque ut viro clarissimo Cobeto, Meibomium secuto, visum est *ἀκένῳ*.

[2]) D. L. X, 45: *κόσμοι . . . εἴθ' ὅμοιοι τούτῳ εἴτ' ἀνόμοιοι . . .* Stob. Ecl. I, pag. 498. *Τῶν δ' ἀπείρους ἀποφηναμένων τοὺς κόσμους Ἀναξίμανδρος τὸ ἴσον αὐτοὺς ἀπέχειν ἀλλήλων, Ἐπίκουρος ἄνισον εἶναι τὸ μεταξὺ τῶν κόσμων διάστημα.*

[3]) Vs. 1023 seqq Non minus diserte Epicurus ait simile quid apud Stob. Flor. IV, 218. *Οὐ προσποιεῖσθαι δεῖ φιλοσοφεῖν, ἀλλ' ὄντως φιλοσοφεῖν, οὐ γὰρ προσδεόμεθα τοῦ δοκεῖν ὑγιαίνειν, ἀλλὰ τοῦ κατ' ἀλήθειαν ὑγιαίνειν.*

bis exstitissent, continuo multa mundo sunt addita corpora ex infinita atomorum copia, unde mare et terra crescebant et caeli domus fiebat (vs. 1105 seqq.)

Omnia ad sua genera recedunt, humor ad humorem „terreno corpore terra crescit et ignem ignes procudunt aeraque aer" [1]), non tamen ad Anaxagorae mentem ita, ut ignis atomi ignis sint, aquarum primordia aqua, sed ut atomi quae forma, magnitudine, pondere aptae sint ad haec corpora formanda, conveniant ad suum quaeque genus. Primum haec legenti mira videbuntur. Attamen plane cum Epicuri doctrina conveniunt. Ante omnia tamen tenendum est terram, aquam, aerem, ignem hic non esse tamquam elementa eodem sensu, quo Empedocles docuit. E libro quinto vs. 449 seqq. enim apparet secundum gravitatis rationem atomos se congregasse ita, ut levissimae altum aethera facerent, quae minus essent leves, aerem, quae rursus maiores essent pondere, aquam, gravissimae denique terram. Eo sensu tantum omnia „ad sua saecla recedunt"; cum gravitate autem forma et magnitudo artissime sunt iunctae, levissimae atomi simul sunt maxime rotundae et minimae. Ceterum haec quattuor rursus sunt composita ex atomis quae forma, magnitudine, gravitate inter se differunt, ita ut ad varias res creandas sint aptae. Cetera in libro quinto explicabuntur. Tandem ad maturitatem venit hic mundus: non plus addebatur quam defluebat; ad pubertatem venit. In iuventute enim plus sibi adsumunt quam demittunt corpora, quoniam facile tum in vitales venas committunt atomos, et cum magis compacta sint quam in senectute, minus facile dimittunt suas atomos. Augmine cessante paullatim relaxantur et minuuntur res, atomis amissis. Sic terra nunc etiam decrescit [2]). Iam senescit neque amplius magna procreat animalia, „quae cuncta creavit saecla deditque ferarum ingentia corpora partu". „Iamque caput quassans grandis suspirat arator crebrius incassum manuum cecidisse labores et cum tempora

---

1) Vs. 1144 sqq.

2) D. L X, 73, 74: *καὶ πάλιν διαλύεται πάντα, τὰ μὲν θᾶττον τὰ δὲ βραδύτερον, καὶ τὰ μὲν ὑπὸ τοιῶνδε τὰ δ' ὑπὸ τοιῶνδε τοῦτο πάσχοντα. δῆλον οὖν ὡς καὶ φθαρτοὶ οἱ κόσμοι, μεταβαλλόντων τῶν μερῶν.*

temporibus praesentia confert praeteritis, laudat fortunas saepe parentis. Tristis item vetulae vitis sator atque vietae temporis incusat momen, caelumque fatigat, et crepat, antiquum genus ut pietate repletum perfacile angustis tolerarit finibus aevom, cum minor esset agri multo modus ante viritim: nec tenet omnia paulatim tabescere et ire ad capulum, spatio aetatis defessa vetusto". [1])

Haec omnia, quae tam pulcre Lucretius describit, de mundi interitu, si rem animadvertimus non formam ab Epicuro iam docebantur sequente Leucippum [2]). Quo modo autem mundus interiturus sit, num ictu et invasione meteorum concussus et fractus, an crescente debilitate paullatim periturus sit, Lucretius non memorat. Secundum Stobaeum Epicurus in hoc loco docuit, quod alibi quoque, variis modis id fieri posse [3]), nempe interire mundum ut animalia, ut plantas vel alio modo, quae verba satis sunt obscura, cum nexum non perspiciamus.

Quae praecedunt (1023 seqq.) in fine leguntur libri secundi, postquam antea poeta quae nunc exponam (ad 886—1012) tractavit. Ordinem mutavimus quia aut doctrinam de multitudine mundorum posterius a Lucretio additam esse, aut primi editoris negligentia ordinem mutatum esse censemus, nam satis dilucidum esse nobis videtur doctrinam de sensuum et vitae ex insensilibus ortu transitum fuisse ad librum tertium, in quo de animi mortalitate agit poeta.

Cum demonstrarit terram et quae in ea crescunt ex atomis composita esse, restat ut idem de animalibus ostendat, ut ea phaenomena quoque, quae vitam appellamus, deinceps ex ipso atomorum ordine et positura explicet, ne putemus praeter materiem et vacuum aliam tertiam naturam *per se* consistere, quae neque corpus neque inane sit. Idem inculcat Epicurus. Tempus, felicitas, amor revera non sunt corpora neque vacuum: attamen non sunt incorporea: sunt in corporibus neque per se. At si de

[1]) II. 1164 seqq.

[2]) Plut. plac. II. 4. Ἐπίκουρος φθαρτὸν (εἶναι τὸν κόσμον), ὅτι καὶ γενητὸν, ὡς ζῷον, ὡς φυτόν.

[3]) Ecl. I. 418: Ἐπίκουρος πλείστοις τρόποις τὸν κόσμον φθείρεσθαι, καὶ γὰρ ὡς ζῷον, καὶ ὡς φυτὸν καὶ πολλαχῶς.

incorporeis loquimur id opinamur, quod per se est incorporeum, quod extra corpus et praeter vacuum tamquam tertia natura per se exstat. Ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε γε δεῖ προςκατανοεῖν, ὅτι τὸ ἀσώματον λέγω κατὰ τὴν πλείστην ὁμιλίαν τοῦ ὀνόματος ἐπὶ τοῦ καθ' ἑαυτὸ νοηθέντος ἄν. Et tum pergit: καθ' ἑαυτὸ δὲ οὐκ ἔστι νοῆσαι τὸ ἀσώματον πλὴν ἐπὶ τοῦ κενοῦ. τὸ δὲ κενὸν οὔτε ποιῆσαι οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται. ὥσθ' οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαΐζουσιν. Haec autem causa, quam Epicurus hic memorat, eadem est, quam omnes ei veteres philosophi, qui revera vacuum esse statuebant, afferebant. (Cum loco laudato D. L. X. 67. cf. Arist. physica, IV passim). Procul dubio intervallum inter ea, quae vulgo res sive corpora nominantur, quod nos et Epicurus quoque aere repletum scimus, primam notionem dedit vacui, quoniam videbatur in eo nihil esse et per idem omnes res movebantur. Deinde cum ea notione iungebatur altera, nempe loci, ubi res sunt. Δοκεῖ δὴ τὸ κενὸν τόπος εἶναι ἐν ᾧ μηδέν ἐστιν. τούτου δ' αἴτιον ὅτι τὸ ὂν σῶμα οἴονται εἶναι, πᾶν δὲ σῶμα ἐν τόπῳ, κενὸν δ' ἐν ᾧ τόπῳ μηδέν ἐστι σῶμα, ὥστ' εἴ που μή ἐστι σῶμα, κενὸν εἶναι ἐνταῦθα (Arist. phys. IV. 7). Mox autem haec duo confundebantur; etsi τόπος, „locus, res in quo quaeque versantur," revera est, vacuum num sit, adhuc dubitari potest. Sed iam satis de his. Epicuri errores refellere non nimis est difficile; sed cum de iis notionibus, quae huc referendae sint, de τῷ esse, de animi conscientia, ne cogitasse quidem videatur, satis esset inutile. Idem patet in loco, quem nunc tractamus. Frustra quaeris, quî, cum singulae atomi sentire non possint, complexio tamen atomorum sentiat, quinam sentiat, cum atomi non sentiant, cett. Lucretius, cuius dicta explicare nunc pergemus, nullo modo magistrum correxit. Contra ad litteram fere eum sequitur. Vitae usus et consuetudo docent quae sentiant nata esse ex atomis, quae non sentiant, cum videamus vermes nasci e stercore, plantas se vertere in corpora animalium. Attamen non ex omnibus omnino rebus sensile extemplo fit. Vita enim pendet tantum ex ordine atomorum earumque magnitudine et forma.

Praeterea (902) qui sensile posse creari e sensilibus opinantur,

atomos reddunt molles: nam atomi tum sensu praeditae esse debent, omnia autem, quae sensu sunt praedita, coniuncta sunt cum nervis, visceribus aliisque eiusmodi, quae mollia sunt: at atomos duras esse supra iam patuit. Porro si recte hi sentiunt, debent aut primordia (hoc subiectum esse videtur e vs. 916) sensum partis habere, id est se sentire tamquam partes, aut simili ac tota animalia sensu esse praedita. Prius illud tamen fieri non posse quisque videbit, „nam(que) alio sensus membrorum respicit omnis, nec manus a nobis potis est secreta neque ulla corporis omnino sensum pars sola tenere" (911, 12), ergo minus etiam se tamquam partes sentire possunt, et rursus minus ex eo sensu totius sensus oriri potest. — Ne alterum quidem, nempe primordia simili totis animalibus sensu esse praedita, fieri potest; nam omnia animalia aliquamdiu tantum sensum habent neque perpetuo vivunt: atomi ergo tum quoque aliquamdiu tantum sensu essent praeditae, deinde eo carerent: at tum atomi sunt mutabiles, quod supra ostendimus fieri non posse.

Porro etiam si non interirent „nihil tamen coeundo facerent praeter vulgum turbamque animantum; scilicet, ut nequeunt homines armenta feraeque inter sese ullam rem gignere conveniundo". (920 seqq.) Re vera si animal quoddam compositum est ex diversi generis atomis, quarum suo quaeque animo praedita est, non videmus quomodo e tam varia multitudine unus animalis animus exsistere possit. Nam recte dicit poeta: „si forte atomi suum dimitterent animum, aliumque acciperent, quid tum opus fuit attribui id, quod detrahitur"? Sed quid amplius opus est argumentis exclamare videtur poeta, cum generatio spontanea sit factum certum, quod suis quisque oculis animadvertere possit. vs. 930. Quomodo autem hoc factum explicari possit, etiamsi concedimus revera esse factum, ab Epicureis non inquiritur, quibus physica paulo plus est quam ancilla ethices. Quodsi magnum intervallum cognoscere vis, quo in eiusmodi rebus tractandis Epicurei distant ab Aristotele, conferas huius libros περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς cum ratione et via, quas Lucretius in exposita doctrina secutus est.

In iis, quae ad nos pervenerunt, Epicuri fragmentis nihil prorsus

invenimus, quod huc referendum sit. Attamen non dubitamus quin poeta hic quoque tantummodo interpretetur Graecum philosophum. Democritus affirmabat omnes res mentis participes esse [1]) vel, ut Augustinus refert, inesse concursioni atomorum vim quamdam animalem et spiritalem [2]). Cum enim mentem idem esse atque animam dicat, et animam idem atque calidam et ardentem materiem, in omnibus rebus tot partes mentis et animi inesse putare debet, quot vitae et caloris insunt. Huic autem, secundum Augustinum, Epicurus pugnam movet, qui nihil omnino in principiis rerum ponit praeter atomos. Eum adversus hunc et alios idem sentientes philosophos hoc idem argumentum protulisse, quod affert Lucretius, nonnulla animalia ex ipsis rebus inanimis, velut vermes ex tellure humida vel stercore putrido gigni, hoc nobis persuadet, quod Aristoteles, quem ab Epicuro lectum esse aliunde constat, idem refert. In primo libro de gen. animal. p. 715, b, 4, loquitur de animalibus, *ὅσα μὴ ἐκ ζῴων ἀλλ' ἐκ σηπομένης τῆς ὕλης* nascuntur et in libro tertio p. 761, a, memorat animalia, quae *οὐκ ἀπὸ σπέρματος* sed *αὐτόματα* oriuntur. In libro primo de anim. p. 409, b, 23. Aristoteles dicit *λείπεται δ' ἐπισκέψασθαι πῶς λέγεται τὸ ἐκ τῶν στοιχείων αὐτὴν (ψυχὴν) εἶναι.* De iis autem paulo post ait: *τίθενται γὰρ γνωρίζειν τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, ὥσπερ ἂν εἰ τὴν ψυχὴν τὰ πράγματα τιθέντες*, quibuscum si composueris vs. 915, 23 „vitali ut possint consentire undique sensu (atomi), sic itidem quae sentimus sentire necesse est", similitudinem adesse negare non poteris. Vs. 919, 20 „at coetu concilioque nil facient praeter volgum turbamque animantum" fere ad verbum concinunt cum p. 410, a, 18: *ἢ φήσουσιν ἑκάστου γένους εἶναι στοιχεῖα καὶ ἀρχὰς ἰδίας, ἐξ ὧν τὴν φυχὴν συνεστάναι; ἔσται ἄρα ποσὸν καὶ ποιὸν καὶ οὐσία· ἀλλ' ἀδύνατον ἐκ τῶν τοῦ ποσοῦ στοιχείων οὐσίαν εἶναι καὶ μὴ ποσόν.* Lucretius vs. 892

---

[1]) Plut. plac. IV. cap. 4, 4. *Ὁ δὲ Δημόκριτος πάντα μετέχειν φησὶ ψυχῆς ποιᾶς καὶ τὰ νεκρὰ τῶν σωμάτων, διότι ἀεὶ διαφανῶς τινος θερμοῦ καὶ αἰσθητικοῦ μετέχει, τοῦ πλείονος διαπνεομένου.*

[2]) August. Epist. LVI. pag. 273.

seqq. dicit „non ex omnibus omnino, quaecunque creant res, sensile et extemplo me gigni dicere sensus", sicut alii statuisse videntur. Arist. de anim. p. 411, a, 7: *καὶ ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν μεμῖχθαί φασιν, ὅθεν ἴσως καὶ Θαλῆς ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι. τοῦτο δ' ἔχει τινὰς ἀπορίας· διὰ τίνα γὰρ αἰτίαν ἐν μὲν τῷ ἀέρι ἢ τῷ πυρὶ οὖσα ἡ ψυχὴ οὐ ποιεῖ ζῷον, ἐν δὲ τοῖς μικτοῖς*; porro cum hisce verbis (p. 411, a, 2): *εἴτε δεῖ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖν, οὐθὲν δεῖ ἐξ ἁπάντων*, conveniunt 894 seqq: „sed magni referre ea primum quantula constent" cett. Saepius usurpata illa imago caeli patris et terrae matris (991 seqq.) etsi fortasse e veteribus poetis sumpta, tamen ex Aristotelis est mente: de anim. gen. I. p. 716, a, 13: *ἄρρεν μὲν γὰρ λέγομεν ζῷον τὸ εἰς ἄλλο γεννῶν, θῆλυ δὲ τὸ εἰς αὐτό. διὸ καὶ ἐν τῷ ὅλῳ τὴν τῆς γῆς φύσιν ὡς θῆλυ καὶ μητέρα νομίζουσιν, οὐρανὸν δὲ καὶ ἥλιον ἤ τι τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ὡς γεννῶντας καὶ πατέρας προσαγορεύουσιν.* Tanta cum inveniatur similitudo, necesse est statuamus quamdam necessitudinem sive affinitatem esse inter ea, quae Lucretius canit et quae ab Aristotele proferuntur. Sed cum ne nomen quidem Stagyritis apud nostrum reperiatur et nulla sint, quae nos adducant ut eum Aristoteli studuisse credamus, non temeraria est nostra opinio, censentium Epicurum haec omnia ex Aristotelis scriptis legisse, atque ex illius scriptis ab Lucretio deinde hausta esse. Quam opinionem ut corroboremus, afferamus liceat quaedam Epicuri placita, quae plane cum Aristotelis verbis conveniunt neque in Lucretii carminibus inveniuntur. Arist. de an. 428, a, 6 dixit *αἴσθησις μὲν γὰρ ἤτοι δύναμις ἢ ἐνέργεια* quod etiam de aliis eiusmodi facultatibus sive factis dicit. Plutarcho teste, plac. IV. 8 Epicurus: *τὸ μόριόν ἐστιν ἡ αἴσθησις, ἥτις ἐστὶν ἡ δύναμις, καὶ τὸ ἐπαίσθημα ὅθεν ἐστὶ τὸ ἐνέργημα· ὥςτε διχῶς παρ' αὐτοῦ λέγεσθαι, αἴσθησιν μὲν τὴν δύναμιν, αἰσθητικὸν δὲ τὸ ἐνέργημα.* In eadem pagina lin. 18 Aristoteles: *γίνεται γὰρ δόξα καὶ ἀληθὴς καὶ ψευδής.* Epicurus D. L. X. 34, *τὴν δὲ δόξαν καὶ ὑπόληψιν λέγουσιν· ἀληθῆ τέ φασι καὶ ψευδῆ τυγχάνειν.* — (Arist. 428, b, 3, etiam eam *ὑπόληψιν* vocat.). Sed haec iam satis sint.

Stoici quoque putabant animum e materia factum esse et eodem quo corpus modo crescere. In utero e parentum semine, partem

quoque eorum animi continente, crescit animus quidam, plantae similis, qui deinde, partu facto, aeris vi mutatur in animalis animum [1]).

Utrique Epicurei et Stoici statuebant *ἀπὸ τοῦ σώματος ὅλου καὶ τῆς ψυχῆς φέρεσθαι τὰ σπέρματα* (Plut. plac. V. Epic. 3 Stoici 11) quo Stoici liberorum similitudinem cum parentibus explicabant (plac. V. 11). Stoici autem negabant foetum iam animal esse, sed potius ut plantam eum vivere et crescere dicebant: *οἱ Στωϊκοὶ μέρος εἶναι αὐτὸ (τὸ ἔμβρυον) τῆς γαστρὸς, οὐ ζῷον. ὥσπερ γὰρ τοὺς καρποὺς μέρη τῶν φυτῶν ὄντας πεπαινομένους ἀποῤῥεῖν, οὕτω καὶ τὸ ἔμβρυον.* Foetus, plantae non dissimilis, deinde partu in lucem proditus, aerem inspirare coepit, quo demum fit animal; mutatur ergo e plantae natura in animalis naturam. Hanc doctrinam ab Herophilo Epicuri fere aequali, qui tunc temporis celeberrimus erat medicus et anatomicus, sumpsisse videntur Stoici. Huius opinionem Plac. V. 15, Plutarchus sic exprimit: *Ἡρόφιλος κίνησιν ἀπολείπει φυσικὴν τοῖς ἐμβρύοις, οὐ πνευματικήν. τῆς δὲ κινήσεως αἴτια νεῦρα. τότε δὲ ζῶα γίνεσθαι ὅταν προχυθέντα προσλάβῃ τι τοῦ ἀέρος.* Secundum hos igitur animus mutatione quadam e non sensili oritur. Brevem invenies hanc Stoicorum opinionem in Plut. de Stoic. repugn. 41: *τὸ βρέφος ἐν τῇ γαστρὶ φύσει τρέφεσθαι, νομίζει, καθάπερ φύτον, ὅταν δὲ τεχθῇ ψυχούμενον ὑπὸ τοῦ ἀέρος καὶ στομούμενον τὸ πνεῦμα μεταβάλλειν καὶ γίνεσθαι ζῷον.*

Contra hunc partum et hanc mutabilitatem animi Lucretius affert nonnulla argumenta, quae tamen valde vitiosa leguntur in codd. vs. 931 seqq. Dicunt adversarii animum tamquam *partu* quodam sive *mutabilitate* fieri tum cum in luminis oras protruditur (ergo vs. 933 legendum est, *quom proditur extra*). His ipsis verbis poeta utitur ut eos refellat. Si de partu est sermo, necesse est partes eius, quod paritur, iam sint congregatae ante partum: alioquin quid parietur? (Tenendum est poetam suam sequi doctrinam, quae omnia, animum quoque ex atomis composita esse vult). Et quid mutari potest nisi antea *est?* Dicunt partu

[1]) Zeller, III. 181.

facto statim animal sentire, sed tamen sentire non potest antequam anima sit: quae si nondum est, eius materies iam est dispersa, „disiecta tenetur." Tum modo, quum haec materies est congressa, ita ut anima orta sit, eos motus anima efficere potest, quibus sensus in quovis animali cientur. Ergo qui putant „mutabilitate aut aliquo tamquam partu ex non sensu sensus" nasci posse, eo ipso, quod dicunt, coguntur, ut animam *ante* illam mutationem, *ante* illum partum iam *esse* statuant, ergo hoc modo *fieri* non posse concedant. Legamus igitur: „Quod si forte aliquis dicet, dum taxat, oriri posse ex non sensu sensus mutabilitate, aut aliquo tamquam partu, *quom proditur extra*, huic satis illud erit planum facere atque probare, non fieri partum nisi concilio ante coacto, nec quicquam commutari sine conciliatu. Principio nequeunt ullius corporis esse sensus ante *levem* genitam naturam *animaï*, (codd. *lesam*, quod facile mutatur in *levem* et indicare nobis videtur legendum esse *animaï* pro *animantis;* etiam non video qui *animantis* defendi possit; de modo quo *anima* fiat tantum sermo est.) ni mirum, quia materies disiecta tenetur. (vs. 940 *aere*, *fluminibus*, *terris terraque creatis* deleri potest). *Haec* (nempe materies; codd. *nec* sed negationem hic ferri non posse perspicuum est) congressa modo vitalis convenientes contulit inter se motus, quibus omnituentes accensi sensus animante in quoque cientur" (Purmanno assentior) Ceterum fatendum est haec argumenta Socratis et Platonis argumentationibus similia esse [1]).

Praeterea aliud est argumentum, quod sensus a positione et ordine atomorum pendere neque ipsas atomos sensu praeditas esse, nobis persuadet [2]). Ictus gravior animalis corpori illatus sensus eius confundit et animae nodos a corpore solvit; minus gravis autem ictus saepe vincitur ita, ut sensus mox reparetur. At quoniam ictus nihil facere possunt, quam ordinem perturbare, perspicuum est sensus a solo atomorum ordine pendere. Quod si ita est, sequitur

[1]) Cf. eiusmodi argumentum Phaed. p, 92: *οὐ γάρ που, ἀποδέξει γε σαυτοῦ λέγοντος ὡς πρότερον ἠν ἁρμονία ξυγκειμένη, πρὶν ἐκεῖνα εἶναι ἐξ ὧν ἔδει αὐτὴν ξυντεθῆναι.*

[2]) II. 944—72.

non posse atomos sensu praeditas esse: quoniam nullae unquam sunt partes atomorum, quarum ordo mutatus efficere possit ut dolore aut voluptate quis afficiatur [1]). Denique repetens quam vs. 914 iam expressit cogitationem, adversarios illudit. Si atomi sensu sunt praeditae, quid tum hominum primordiis est proprium? Primordia „et risu tremulo concussa cachinnant et lacrimis spargunt rorantibus ora genasque, multaque de rerum mixtura dicere callent, et sibi proporro quae sint primordia quaerunt" [2]). Tandem hanc partem doctrinae quo saepe utitur modo concludit. Poetica arte argumentum in vs. 875 seqq. prolatum uberius exponit, Euripidem sequens: „caelesti sumus omnes semine oriundi: omnibus ille idem pater est (coelum) eademque mater. Atomi e terra sumptae et in terram postea recipiendae, corpus nostrum constituunt, ut id nulla re a rebus inanimis discernatur quam atomorum ordine, positura, motu [3]) — Hoc in libro igitur Epicurum secutus, poeta ostendit quo modo omnia ex atomis sint facta. Ad mundum eiusque phaenomena explicanda nulla re opus est nisi atomis earumque motibus, „nulla deorum potentia neque providentia, neque animo immateriali." Omnes res complexiones sunt atomorum, omnes actus sunt motus, omnes motus autem ex atomorum motibus possunt explicari. Multas quidem res moveri videmus tamquam sua sponte, tamquam suo marte quaeque agat: attamen fallimur. Nulla est vis praeter atomorum motus, quae corporum sit propria eaque moveat.

---

1) Codicis lectionem contra Lach. tuemur: non tamen assentimur Munr. dicenti: Lach. has a most obscure note: the only thing it clearly shews is that he quite fails to apprehend the poet's meaning, when he reads here: *propterea*. Lachm. verba non sunt obscura: in eo tantum falsus esse nobis videtur quod vs. 944—962 nihil aliud esse opinatur quam duo priora membra ratiocinationis; poeta sine dubio maiorem vim iis attribui volebat.

2) Vs. 976 seqq.

3) Vs. 1013 et seqq. procul dubio pertinent ad hanc carminis partem, neque tamen suo loco neque apte a poeta sunt adscripti. Democritus iam exemplo usum esse litterarum vario ordine et loco, quibus sint positae, modo comoediam modo tragoediam componentium, ut explicaret quomodo ex atomorum, forma, ordine, positura (quae ita distinxit: *διαφέρει τὸ μὲν* A *τοῦ* N *σχήματι*, *τὸ δὲ* AN *τοῦ* NA *τάξει*, *τὸ δε* Z *τοῦ* N *θέσει*) omnia facta sint, supra iam ostendimus.

CAPUT TERTIUM.

DE ANIMO.

(Lucr. lib. III.)

Multa sunt quae Lucretii de sensibus in praecedente libro expositae doctrinae obicere possimus: sed, cum opus eum refutandi in nos non incumbat, illa omittemus. In libro tertio autem amplius eadem de re disputat imprimisque conatur animi naturam explicare, ut demonstret eum mortalem esse, itaque mortis timorem inanem esse. Tota mente in hanc operis partem incumbit poeta: quisque sentit hic cardinem esse totius quaestionis, totam naturae doctrinam circum hanc rem versari. Ea, quae supra Lucretius dixit, iam satis videntur posse sententiam probare de animi mortalitate: nam si animus oritur e certo atomorum ordine et „positura", una cum dissolutione corporis animus quoque dissolvi debet et interire. Attamen „hasce secundum res animi natura videtur atque animae claranda meis versibus esse, et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus, funditus humanam qui vitam turbat ab imo, omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam esse voluptatem liquidam puramque relinquit" [1]). Nobis autem imprimis animadvertendum est poetam ipsum hic indicare quid debeat Epicuro, „tuisque ex, inquit, pulcra usus imagine, inclute, chartis, floriferis ut apes in saltibus omnia libant, omnia nos itidem depascimur aurea dicta" [2]). „Te imitari aveo, inque tuis nunc ficta pedum pono pressis vestigia signis" [3]). Ipse igitur testatur poeta se

---

1) III. 35 seqq.
2) Vs. 10. 11.
3) Vs. 4.

relaturum esse Epicuri doctrinam. Incipit a mortis timore, quo iustam de animo doctrinam exponens homines liberare cupit. Epicuri enim et Lucretii aetas, quae utraque scientiarum cultu et civium in bonis prosperitate florebat, tamen hoc metu imprimis angebantur, quod cum e multis scriptis tum e D. L. X. 124 seqq. et Ciceronis libr. I Disp. Tusc. quo de morte contemnenda agit, effici potest.

Miser rei publicae status, veteris deorum cultus et fidei interitus, philosophorum sibi vicissim repugnantes doctrinae in causis sunt. *Οἱ πολλοὶ*, Epicurus inquit, *τὸν θάνατον ὁτὲ μὲν ὡς μέγιστον τῶν κακῶν φεύγουσιν, ὁτὲ δ' ὡς ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν κακῶν ποθοῦσιν* [1]. Vulnera vitae non minimam partem mortis formidine aluntur, exclamat poeta [2]. Quoniam post mortem multos dolores patientur, ut homines opinantur vulgo, per fas et nefas gaudia appetunt, ut tristes mortis minas, quae animos vexant, voluptatibus sopiant. Quin etiam in tantum mortis formido furorem eos propellit, ut sibi ipsi mortem consciscant, ut patriam carosque parentes prodant vitare Acherusia templa petentes. „Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest non radii solis neque lucida tela diei discutiant sed naturae species ratioque [3]), vel ut Epicurus dicit: [4] *οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λύειν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων, μὴ κατειδότα τίς ἡ τοῦ σύμπαντος φύσις, ἀλλ' ὑποπτευόμενόν τι τῶν κατὰ τοὺς μύθους· ὥστ' οὐκ ἦν ἄνευ φυσιολογίας ἀκεραίους τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν.* — Antequam autem animi naturam describat, refellenda est opinio eorum, qui, ut Peripatetici nonnulli [5], nullum esse animum asseverabant, sed harmoniam quamdam totius corporis hoc nomine significari, et vim totam illam, qua vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam censebant [6]; quam doctrinam a Pythagoraeis olim prolatam Plato

---

1) D. L. X. 125.

2) Vs. 64.

3) Vs. 91.

4) D. L. X. Rat. sent. XI.

5) Aristoxenus. Cic. Disp. tusc. I, 10, 20.

6) Dicaearchus. Cic. Disp. tusc. I. 10, 21. Non plane cum iis conveniunt haec verba apud Nemes. de nat. hom. p. 68: *Δικαίαρχος δὲ* (scil. *λέγει*) *ψυχὴν εἶναι ἁρμονίαν τῶν τεσσάρων στοιχείων, ἀντὶ τοῦ κρᾶσιν καὶ συμφωνίαν τῶν στοιχείων.*

iam antea refutarat [1]). Eos redarguit argumentum proferendo, quod Aristoteles iam adhibuit, harmoniam ad corporis valetudinem referendam esse neque ad animum posse referri, eodem tempore aliud animo, aliud corpore posse sentiri et animum quidem interdum laetari et dolere dum corpus prorsus diversa sentiat aut omni sensu careat. Contra Dicaearchum autem dicit animum suam habere sedem: partes enim corporis dissecari posse cum vita tamen maneat et contra: „cum corpora pauca caloris diffugere forasque per os est editus aër deserit extemplo venas atque ossa relinquit". Poetarum inventum igitur videtur haec harmonia esse cum constet animum esse hominis partem.

Inde a vs. 136—417 de animi natura poeta disserit ita, ut 136—323 de animo et anima eorumque coniunctione, a 323—417 de vinculo agat, quod cum corpore ea vinciat. Epicurus duas partes distinxit in animo, dicens *τὸ ἄλογον ἐν τῷ λοιπῷ παρεσπάρθαι σώματι, τὸ δὲ λογικὸν ἐν τῷ θώρακι, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων καὶ τῆς χαρᾶς* [2]). Hanc partem Lucretius vocat animum sive mentem „quae media in regione pectoris haeret". „Hic exultat enim pavor ac metus, haec loca circum laetitiae mulcent," belle dicit poeta. [3]) illam autem animam appellat „quae per totum dissita corpus paret et ad numen mentis momenque movetur." [4]) Animus sive mens est caput et dominatur in toto corpore, attamen coniuncta tenentur inter se atque unam naturam, animum, conficiunt ex se [5]). Animus sibi solus per se sapere potest: interdum gaudet et dolet cum neque anima neque corpus quoquo modo commoveantur: inde tamen non sequitur eum ab anima secretum esse: est animo cum anima, quod oculis sive capiti, dolore temptatis, cum toto est corpore. Nam ubi vehementius afficitur mens „consentire animam

---

[1]) Phaedo. p. 92 seqq. *ψυχὴν δὲ ἁρμονίαν τινὰ ἐκ τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐντεταμένων ξυγκεῖσθαι.* Cum hisce verbis conferas Epicuri verba apud D. L. X. 65, ubi animum vocat: *τὸ συντεῖνον τῶν ἀτόμων πλῆθος εἰς τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν.* Animus Epicuro igitur plus est quam atomorum multitudo quaedam. Uberius de Platone Wijttenbachius ad Phaed. cap. 46.

[2]) D. L. X. 66, 63. Plut. plac. IV. 4.

[3]) Vs. 140 sqq.

[4]) Mens cui regnum totius animi a natura tributum est. Cicero.

[5]) Vs. 136.

totam per membra videmus". Est igitur anima medium quoddam sive vinculum, quod mentem ut *τὸ ἀρχικόν*, *τὸ ἡγεμονικόν* et corpus iungit: „animus sua vi cum percutit animam, haec enim corpus propellit et icit." Sic poeta, cum animum a corpore pendere negare non possit, tamen ei libertatem quamdam servare conatur. Caveamus tamen ne duas naturas dicamus animum et animam, cum poeta plus semel inculcet, utrumque quam artissime coniunctum esse et corpori oppositum.

Cum iam viderimus animum et animam corpus posse movere, inde sequitur ea corporea esse natura, nam quodcumque tangit aut tangitur corpus sit necesse est. Idem patet ex eo quod arma, quae corpus vulnerant animum quoque laedunt [1]). Porro animus (et anima, utrumque hoc vocabulo indicatur cf. 216) constat e quam minutissimis corporibus: nihil enim eo mobilius et celerius est: ea corpuscula rotunda esse ex eorum mobilitate ostenditur [2]). Quam tenues sint hae animi partes, inde perspici potest, quod hominis mortui corpus nihilo levius est quam vivi: mors omnia praestat vitalem praeter sensum calidumque vaporem [3]). „Quod genus est, Bacchi cum flos evanuit, aut cum spiritus unguenti suavis diffugit in auras... nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur" [4]) neque pondere levior.

Animus autem non est simplex quoddam: constat enim e quattuor partibus: aura, vapore (calore), aere, et quarta quadam parte, quae nominis est expers „qua neque mobilius quicquam neque tenuius exstat" [5]). Has partes revera esse hoc modo ostendit: videmus moribundos, quorum animus e corpore decedit, tenuem aurem (*πνεῦμα*) deserere, mixtam vapore sive calore (*θερμοῦ κρᾶσιν ἔχον*) [6]); vapor autem semper coniunctus est cum

[1]) D. L. 67. *οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαΐζουσιν· οὐθὲν γὰρ ἂν ἐδύνατο ποιεῖν οὔτε πάσχειν εἰ ἦν τοιαύτη· νῦν δ'ἐναργῶς ἀμφότερα ταῦτα διαλαμβάνομεν περὶ τὴν ψυχὴν τὰ συμπτώματα.*

[2]) D. L. X. 66 *Ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε λέγει ἐν ἄλλοις, καὶ ἐξ ἀτόμων αὐτὴν συγκεῖσθαι λειοτάτων καὶ στρογγυλωτάτων.*

[3]) Vs. 214.

[4]) Vs. 221.

[5]) Vs. 243.

[6]) D. L. X. 63.

aere (ἐκ ποιοῦ ἀερώδους). At hae tres partes nondum „*sat* sunt ad sensum creandum: nil horum quoniam recipit res posse creare sensiferos motus" [1]), quod conficitur quarta illa parte. Haec pars praecipua est, „sensiferos motus quae dedit prima per artus" et calorem, auram, aera deinceps movet. Epicurus, qui eadem docet, accuratius functiones cuiusque partis ostendit. Legimus enim apud Stobaeum eum dixisse animum esse *κρᾶμα ἐκ τεσσάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου, τοῦτο δ'ἦν αὐτῷ τὸ αἰσθητικόν· ὧν τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, τὸν δὲ ἀέρα ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δ'ἀκατονόμαστον τὴν ἐν ἡμῖν ἐμποιεῖν αἴσθησιν· ἐν οὐδενὶ γὰρ τῶν ὀνομαζομένων στοιχείων εἶναι αἴσθησιν* [2]). Cum his verbis videntur non concinere quae leguntur D. L. X, 63: *οὕτω γὰρ ἡ βεβαιοτάτη πίστις ἔσται ὅτι ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερές, παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον, προςεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι καὶ πῇ μὲν τούτῳ προςεμφερές, πῇ δὲ ἐκείνῳ. ἔστι δὲ τὸ μέρος πολλὴν παραλλαγὴν εἰληφὸς τῇ λεπτομερείᾳ καὶ αὐτῶν τούτων, συμπαθὲς δὲ τούτῳ μᾶλλον καὶ τῷ λοιπῷ ἀθροίσματι.* Quaeritur utrum duas an tres partes hic discernat Epicurus. Sunt qui *τό μέρος* referant ad animum: „est autem pars (hominis), quae multam accepit immutationem" ita Cobetus, Huebnerus, Schneiderus: alii qui, putent tertiam partem hic duabus prioribus (*πνεύματι* et *θερμῷ*) addi, sic Rossius, quod recte mihi videtur. *τούτῳ* enim quo referri debet, nisi ad animam, cum *τῷ λοιπῷ ἀθροίσματι* opponi debeat? Credo Epicurum nominis expertem illam partem ob oculos habuisse, quae *λεπτομερείᾳ πολλὴν παραλλαγὴν εἴληφε τῶν ἄλλων* (*πνεύματος* et *θερμοῦ*) vel ut Lucretius dicit vs. 243 „qua neque mobilius quicquam neque tenuius exstat."

Paucis mutatis sic legere velim: *ἔστι δέ τι μέρος ..... μᾶλλον ἢ τῷ λοιπῷ ...* Est autem pars alia (ita Aldobrandinus), quae tenuitate multum discrepat ab illis ipsis, sed tamen huic (animae, cuius duas partes enumeravit) potius consentiens quam reliquo

---

[1]) Vs. 238.

[2]) Ecl. p. 798. cf. Plut. plac. IV, 3.

coetui (corpori). Vix porro credere possum Epicurum hic tres animi partes tantum enumerasse, cum Lucretius, Plutarchus, Stobaeus quattuor ei tribuant. Aeris elementum deest. Aerem autem Lucretius dicit semper cum calore et vapore coniunctum esse: porro negari non potest eum etiam *πνεύματι* sive aurae similem esse. De animo porro qui dicet eum modo aurae modo calori similem (*προσεμφερές*) esse? Legamus igitur: *προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι καὶ ἀέρος πῇ μὲν τούτῳ προσεμφεροῦς πῇ δ' ἐκείνῳ. ἔστι δέ τι μέρος κ. τ. λ.*

Noli tamen putare has quattuor partes separatim adesse in corpore: e contrario, mixtae creant unam naturam, *κρᾶμα ἐκ τεσσάρων* dicit Epicurus. Quarta illa vis, quae a se ceteris distribuit „initum motus", „penitus prorsum latet" in corpore, „nec magis hoc intra quicquam est in corpore nostro" (274); est ipsa quasi anima totius animae et dominatur corpore toto. Graecus eam appellat: *τὸ ἡγεμονικόν*. Dolores et mala huc vulgo non penetrant, „sed plerumque fit in summo quasi corpore finis motibus" (254), sed si huc penetrant, mors statim sequitur. Anima igitur, quae per totum est dissita corpus, doloribus afficitur neque animus sive mens, quod Plutarchus quoque refert: *Ἐπίκουρος καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις· τὸ γὰρ ἡγεμονικὸν ἀπαθές* [1]). Hisce autem verbis exprimere nobis videtur, non omnino animum nullo vulnere affici posse, sed illa minora ut ita dicam vulnera et dolores, quae saepe patimur, animum intimum non laedere, sed ea corpore tantum et anima in eo dispersa, sentiri: quodque vulnus animo ipsi sive menti illatum, statim mortem efficit [2]). — Porro ex hisce animi elementis explicantur diversa hominum et animalium indoles et mores, quae temperamenta vocamus, quae ergo omnia in quoque homine adsunt, sed aliud prae alio praeponderans. Calor causa est irae et ardo-

---

1) Plac. phil. IV, 23.

2) Cf. v. 252 seqq. Uberius de hoc loco agit poeta vs. 359—417. Assentiri non possum viro doctissimo Reisackero, cum haec verba apud Plutarchum sensu morali, ut ita dicam, dicta esse opinari videatur. (Vide Epic. de anim. nat. doctr. in progr. gymn. Colon. pag. 23.) Cum hac opinione cum alia tum capitis inscriptio: *περὶ παθῶν σωματικῶν καὶ εἰ συναλγεῖ τούτῳ ἡ ψυχή* pugnant, si recte video.

ris: Epicurus ei attribuit τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος; aura est comes frigidae formidinis. Epicurus autem πνεῦμα dicit efficere κίνησιν; ex aere nascitur pacatus ille animi status ἠρεμία; quarta nomine vacans pars sensuum est causa, ἐμποιεῖ τὴν ἐν ἡμῖν αἴσθησιν. In aliis animalium generibus aliud temperamentum praevalere deinde ostendit poeta. In homine doctrina polito possunt temperari quaedam, ita ut vestigia linquantur parvola, non tamen possunt radicitus mala evelli, quod tamen impedire non potest, quominus „dignam dis degant vitam" homines. Ceterum „nunc, inquit poeta, nequeo caecas exponere causas nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt principiis, unde haec oritur variantia rerum." 258—322.

Quod quoniam ita posuit poeta, pergit ostendens quo vinculo hic animus cum corpore sit coniunctus. Corpus animum continet: animus autem corporis est custos et causa salutis: „nam communibus inter se radicibus haerent nec sine pernicie divelli posse videntur" [1]), quo vinculo iam inter se ligata sunt „ex ineunte aevo, maternis etiam membris alvoque reposta". [2]) Corpus sine animo sentire non potest neque etiam animus sine corpore: coniuncta tantummodo vivunt. [3]) At fortasse erunt, qui dicant: revera est animus per totum corpus dissitus et arte cum eo ligatus, sed tamen tibi dare non possumus, corpus quoque sentire; contra, animus solus sentit et corpus nihil est quam instrumentum, quod prorsus omni sensu caret. Ita dicentibus respondet Lucretius: cum corpus non sentire velitis, sed solum animum per totum corpus dissitum, graviter fallimini et „vel manifestas res contra verasque repugnat(is)". Dum animus in corpore est, ipsum corpus sentit, dimissa autem anima corpus caret undique sensu. Qui autem, exempli gratia, dicunt oculos non videre, sed animum per eos spectare tamquam per fores, graviter errant: nam si oculi tantum fores essent

---

1) Vs. 324.

2) Vs. 346.

3) Vs. 323—50. Vs. 350 legendus est: „quod super est, siquis corpus sentire *renutat*: *refutat*, quod in codd. legitur, cum significationem refellendi vulgo habeat, sensum praebet minus dilucidum.

melius videremus oculis evulsis [1]). Denique (396 seqq.) quod iam e superius dictis sequitur repetit philosophus noster, ut melius inculcet. Pluris momenti ad vitam est animus quam anima, nam sine animo anima in corpore esse non potest, „at manet in vita cui mens animusque remansit". Membra plura cumque iis pars animae dissecari possunt, cum tamen vita maneat, quia animus est integer. Oculorum aciei afferens exemplum illustrat poeta quae praecedunt: oculi acies in pupilla sita etiam si orbis laceratur, non peribit, modo ne orbem totum corrumpas: „at si tantula pars oculi media illa peresa est, occidit extemplo lumen tenebraeque secuntur"[1]). Haec omnia plane concinunt cum doctrina Epicuri. Iniuria quoque Lachm. et Bern. vs. 350—95 uncis incluserunt: „si vs. 396 seqq. versui 349 continuo subiciuntur, omnia commodissime procedunt," scripsit Lachm: mimine recte tamen. Nam ipsa Epicuri verba apud D. L. X. 63 seqq. quae, cum hanc ob causam, tum ut superiore loco dicta illustrent, transscripsimus, eundem praebent ordinem: *καὶ μὴν καὶ ὅτι ἔχει ἡ ψυχὴ τῆς αἰσθήσεως τὴν πλείστην αἰτίαν, δεῖ κατέχειν* (396. 97). *Οὐ μὴν εἰλήφει ἂν ταύτην, εἰ μὴ ὑπὸ τοῦ λοιποῦ ἀθροίσματος ἐστεγάζετό πως· τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα παρασκευάσαν τὴν αἰτίαν ταύτην μετείληφε καὶ αὐτὸ τοιούτου συμπτώματος παρ' ἐκείνης, οὐ μέντοι πάντων, ὧν ἐκείνη κέκτηται. Διὸ ἀπαλλαγεὶσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν·* (356) *οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ταύτην ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἅμα συγγεγενημένῳ αὐτῷ παρεςκεύαζεν* (357), *ὃ διὰ τῆς συντελεσθείσης περὶ αὐτὸ δυνάμεως κατὰ τὴν κίνησιν σύμπτωπα αἰσθητικὸν εὐθὺς ἀποτελοῦν, ἑαυτῷ ἀπεδίδου κατὰ τὴν ὁμούρησιν καὶ συμπάθειαν καὶ ἐκείνῳ, καθάπερ εἶπον* (350—370). *Διὸ δὴ καὶ ἐνυπάρχουσα ἡ ψυχὴ οὐδέποτε, ἄλλου τινὸς μέρους ἀπηλλαγμένου, ἀναισθητεῖ,*

---

[1]) Erat haec Heracliti doctrina: Sextus adv. math. VII: 130: *ἐν δὲ ἐγρηγορόσι πάλιν διὰ τῶν αἰσθητικῶν πόρων ὥσπερ διά τινων θυρίδων προκύψας (ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς) καὶ τῷ περιέχοντι συμβαλὼν λογικὴν ἐνδύεται δύναμιν.* Eum Strato et Aenesidemus secuti esse videntur: Sext. l. l. 350 cum Cicero Tusc. I, 46 quoque hanc opinionem fovet. Lucretius hic non nomine indicat Heraclitum: certe eum non legit; illa imago saepius ab Heraclito usurpatur: sed noster, ut vulgo cum adversarios oppugnat, ioco quodam ridiculam reddit imaginem, de foribus et *postis* cum loquatur.

[2]) 413, 14.

ἐάνπερ διαμένῃ τὸ ὀξὺ κατὰ τὴν αἴσθησιν (408), ἀλλ' ἐὰν καὶ αὕτη ξυναπόληται τοῦ στεγάζοντος λυθέντος εἴθ' ὅλου εἴτε καὶ μέρους τινός· τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα διαμένον καὶ ὅλον καὶ κατὰ μέρος οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν, ἐκείνου ἀπηλλαγμένου ὅσον ποτέ ἐστι τὸ συντεῖνον τῶν ἀτόμων πλῆθος εἰς τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν (vs. 396-416).

Omisimus autem vs. 370—396, quibus Democriti doctrinam refutat poeta. Animadvertamus imprimis Democritum ab Epicureis refelli ubi opportunitas datur. Causa cur hoc fecerint satis perspicua est. Quo magis enim patebat Epicuri physicam doctrinam totam a Democrito esse sumtam, eo plus operae dedit ut hoc celaret, imprimis ea extollendo, quibus ab illo discrepabat atque petulanter in eum invehendo (Δημόκριτον Ληρόκριτον D. L. X. 8). Sic Lucretius quoque inter omnes, quos refutat, philosophos, Democritum saepissime nomine indicat, ut magistrum suam doctrinam, non a Democrito sumtam, habuisse ostendat. Omisimus autem eos versus quoniam nobis videntur non suo loco scripti esse. Ait enim poeta falsam esse Democriti sententiam, cum „corporis atque animi primordia, singula privis adposita, alternis variare, ac nectere nembra" putet [1]). Nam primordia animi multo minora cum sint quam corporis, etiam pauciora sunt, quod inde iam pateat, quod multa levia et parva corpuscula interdum in corpus nostrum cadant vel in eius superficie se moveant, quae sentire non possimus. At si animi singulae atomi singulis essent appositae corporis atomis, nulla res corpus attingens tam parva esset, quin sensibus perciperetur, quia cum semper atomo foret maior, animi atomos attingeret. Haec igitur disputationis pars pertinet ad corporis et animi coniunctionem, de qua vs. 323—50 locutus est poeta et eos subsequi debet [2]). Deinde post vs. 395 sequitur vs. 350, qui incipit a verbis „quod super est", quae demonstrare videntur iam praecessisse aliam obiectionem, quaeque hanc ob rem suo loco scripta sunt in nostro, non tamen in manuscriptt.

---

1) Vs. 372.

2) Ad horum locorum commutationem explicandam fortasse non inutile est animadvertere alterum 20 versus, paginam nostri codicis A, alterum 26 versus, paginam archetypi continere.

ordine. Postquam Democriti poeta refellit opinionem, addit refutationem Heracliti, corpus nihil nisi instrumentum esse censentis. Eum more post suam expositam doctrinam adversarios refellendi, alibi quoque usum esse e prioribus libris patuit, ubi etiam eum in adversariis impugnandis Epicurum fortasse secutum esse eiusque arma sumpsisse ostendimus [1]). Cum autem ad mortalitatem animi probandam transeat poeta, nobis, antequam eum sequamur, paucis verbis quae adhuc sunt tractata repetere liceat.

Primum autem animadvertendum esse censemus Lucretium verba *animum*, *animam*, *mentem*, modo discernere, modo ad eandem rem significandam usurpare, cum Epicurus eodem vocabulo ψυχή uti cogatur. Si autem discernit, animus est idem atque mens [2]) et opponitur animae, ut dominus opponitur servo [3]). Cum autem vulgo hoc discrimine non utatur, sed vocem animum et animam usurpet ad mentem et vim vitalem indicandam, saepe difficile est intellectu quid velit. Vitae causa est animus, qui sedem habet per totum corpus: hic animus porro nihil est quam complexio atomorum et pars hominis ut manus, pes, caput. Non omnes tamen atomi aptae sunt, quae animum constituant: levissimae, minimae, rotundae solae sunt aptae: numerus autem earum minor est quam corporis. Certo ordine sunt positae et per totum corpus ita dispersae et cum toto homine ita coniunctae, ut nullo modo secerni possint, „sed quasi multae vis unius corporis exstent" [4]). Ipse autem animus per se sentire non potest nisi cum corpore coniunctus. Corpus ipsum ab animo sensum accipit, quem sine illius ope non haberet. Quaeque res enim, quae corpus nostrum tangit, eius atomos movet, quae deinceps atomos animi movent: sentimus igitur affectus corpore et in corpore, quod ergo plus est quam animi instrumentum. Qui renutat (vs. 350 pro *refutat*) corpus sentire sed solum animum id facere putat, fallitur; omnes enim, qui sentiunt, sciunt et sen-

---

1) Cf. I, 370, 705, 830. II, 930.

2) III. 84. animum dico mentem quam saepe vocamus; vs. 139 autem tertium addit synonymum: consilium.

3) 138, 144.

4) Vs. 265.

5) Vs. 255.

tiunt se ipso corpore sentire: nulla demonstratione est opus [1]). Multa sunt obscura in hac de perceptione doctrina. Haec obscuritas partim proficiscitur ex ambiguitate vocis *sensus* (et etiam αἴσθησις). *Sensus* enim a Lucretio usurpatur cum ad actionem sentiendi denotandam, tum ad consciam sentiendi vim exprimendam: prioris sedes anima esse debet, per totum corpus dispersa, alterius animus: monendum tamen est poetam saepe nomine animi animam indicare. Ergo explicari potest haec doctrinae pars ita, ut corpus sentiat affectus, qui animo demum et in animo ad conscientiam perveniant. Quod si ita est, difficile tamen manet intellectu, quid Lucretius sibi velit. Antea dixit animi atomos solas aptas esse ad sentiendum sed quî tum corporis primordia idem facere possunt? Si dixisset corporis primordia necessaria esse ad sensum efficiendum, eum intellegeremus, vel si docuisset *nos* (animum sibi conscium) *corpore* vel *in corpore* affectus sentire: sed hoc ipsum poeta negat. At tum quaeritur: quî possunt corporis atomi, quae sua natura sentire (neutro quidem sensu) nequeunt, cum animo ita iungi, ut ipsae sentiant? praecipue cum omnino immutabilia sint primordia. Epicurus nullam lucem affert: ait solummodo corpus ab animo sensus illius particeps fieri, sed quî id fieri possit non explicat. Fortasse Epicurei, quod saepius fecerunt, in hac quaestione quoque sensuum auctoritatem solam secuti sunt. Quisque sentit dolorem suo corpore, ergo corpus sentit, hoc negari non potest: at animum esse et primam et unicam sensus esse causam etiam constat, itaque corpus non potest sentire. Ut haec inter se conciliarent, nihil restabat nisi ut animum corpori sensum impertire decernerent. Quomodo autem hoc fieri possit non indagasse videntur.

Hanc viam eos secutos esse etiam testatur exemplum, quod de oculorum videndi facultate prodit Lucretius. Sententiae enim Parmenidis, Empedoclis, Platonis, quam Cicero Disp. Tusc. I. 20, 46 ita exprimit: „nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus. Neque est enim ullus sensus in corpore, sed . . . viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae . . . . ut facile in-

[1]) Vs. 355.

tellegi possit animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sint animi," — huic igitur sententiae Epicurei non assentiri possunt; sensus nunquam nos fallunt atqui hi ipsi contrarium nos docent: „fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus, lumina luminibus quia nobis praepediuntur", id est, id ipsum, quod nimis acri luce si oculi afficiuntur impedimur quominus videamus, probat ipsos oculos sentire neque quasi fenestras esse. Ex eodem exemplo fortasse etiam videbimus quis sit nexus oculorum cum animo. Vs. 362 enim legimus: „sensus enim trahit atque acies detrudit ad ipsas", quem versum Wakefieldius sic interpretatus est: „sensus, quem habent oculi rebus externis percussi, evocat animum ad eorum acies, ita ut consociatis animi et oculi potestatibus videndi facultas exoriatur". Haec interpretatio recta nobis videtur, etsi durum est e praecedentibus vocem animum ut obiectum verbi *trahere* supplere, sed nullum offertur aliud remedium. Oculi igitur luce a rebus emanante (imaginibus sive simulacris) afficiuntur, quo affectu animus impellitur ut adsit idque agat, ut Ciceronis verbis utamur, quo facto conscii videmus. Oculi ipsi vident, aures ipsae audiunt, denique corpus ipsum sentit, sed animo horum affectuum conscii fimus. Sentiendi via et ratio igitur est haec: omnes sensus, quos Cicero animi nuntios vocat, rebus externis afficiuntur: hi affectus cum anima, cuius atomi per totum corpus sunt dissitae, communicantur, quae rursus animum impellit, quo nos ipsi eorum conscii fimus. Porro est etiam via huic opposita. Motus primam originem ducunt e voluntate hominis, quae sedem habet in animo, et corpore perficiuntur: animus enim sua vi impellit animam, quae motum in corporis partes transducit ita, ut membra moveantur. Eodem modo interdum oculi caligantur cum animus nimis vehementi impulsu truditur. — Quae etiamsi ita sunt ut exposuimus, tamen manet eadem difficultas, quam antea indicavimus. Nunc enim quaeritur, quae Lucretio sit significatio vocis sensus. Sensusne idem est atque animi motus? At corpus etiam sentit, ergo sensus idem est atque motus. Tamen non omnes motus sunt sensus: quod igitur discrimen est inter utrumque? Epicurei nihil respondent et ipsi hanc difficultatem praesensisse

videntur. Cum mechanicorum more animi naturam describentes tamen omnes difficultates neque vitare neque solvere possent, ad vim quandam nominis expertem confugerunt, quae ut deus ex machina auxilio veniat. Haec quarta animi pars necessaria est, quia aliter explicari non possunt „sensiferi motus" (240); quo modo autem hac vi adhibita explicari possint, non perspicimus. Dicitur sola sensiferorum motuum causa esse et idem habere cum animo vinculum, quod animus cum corpore habet, quare totius animae anima appellatur. Fortasse poeta ei partem activam perceptionis, ut ita dicam, tribuit, ita ut ea animus intendatur in ea, quibus corpus afficitur per sensus. Sine illa attentione enim perceptiones ad conscientiam non perveniunt. Ita difficultates ad aliud transferuntur neque solvi possunt. Porro si quis quaerit, utrius hae quattuor sint partes animi an animae, an utriusque, difficile erit quaerenti responso satis facere. Sunt qui putent [1]) calorem et auram et aerem animae partes esse, cum animus sive mens e quarta illa parte sit factus. Haec opinio concinere videtur cum Plutarchi verbis [2]): τὸ γὰρ ᾧ κρίνει καὶ μνημονεύει καὶ φιλεῖ καὶ μισεῖ καὶ ὅλως τὸ φρόνιμον καὶ λογιστικὸν ἔκ τινος φησὶν ἀκατονομάστου ποιότητος ἐπιγίνεσθαι" et cum ipsius Lucretii verbis, cum fere omnia, quae de quarta illa parte dicantur, etiam animo attribuantur [3]). Sed tamen apparet discrimen esse inter utrumque, cum animus dicatur media regione in pectoris haerere [4]), illa pars penitus prorsum latere et subesse, nec magis hac intra (codd. *infra*) quicquam esse in corpore nostro [5]); cum animum dicat poeta nonnumquam laedi, dum neque anima neque corpus commoveantur [6]), ad illam dolores neque acre malum temere penetrare possunt, quin mors sequatur [7]). Porro „nominis haec expers vis" comparatur cum „animi vi"

---

1) Reisackerus in libro laudato p. 20.
2) Adv. Col. 20.
3) Cf 139—160, 241—257.
4) 140.
5) 273.
6) 149.
7) 252.

animaeque potestate [1]). Denique si mentem solam totamque ex ea quarta parte constare voluisset poeta, saepe opportunitas fuisset oblata hanc „identitatem" exprimendi et omnino brevius potuisset omnia explicare. Malumus ergo iis fidem habere, qui putant intimam mentis partem e quarta nominis experti parte constare, cum ceterae tres in animum et animam sint divisae.

Denique animadvertendum esse censemus Lucretium non discernere hominum et bestiarum animum, quod quidem ad quattuor illa elementa pertinet. Animam utrumque habere ostendi non opus est: mentem sive animum bestiis quoque tribui videre licet e vs. 295, 299, ubi de cervorum *mente* sermo est: quae de animo dicuntur cum in homines tum in bestias cadunt. Quartae illius animi partis bestias quoque participes esse ex eo sequitur, quod sine ea sensiferos motus creari non posse poeta dicit vs. 240. Nulla ergo restat pars, quae hominum sit propria. Sed tamen quodque animal suam habere naturam dicit poeta, unde sequitur hominum animum ab animalium discerni: fortasse tamen hoc discrimen non maius est quam inter boves et equos, ut hoc exemplo utar.

Sed vs. 780 poeta dicit homines sapere, bestias desipere, quod idem Epicurus affirmat, putans rationem nusquam inesse nisi in hominis figura (Cic. de nat. deor. 18, 46). Ratio igitur hominum ab iis dicitur propria esse. Hoc Epicureorum placitum si cum iis confertur, quae supra diximus, nova oritur difficultas. Ratio enim sive τὸ λογικόν in animo constat ex ἀκατονομάστου τινὸς ποιότητος. Sed secundum Stobaeum Epicurus hanc nominis expertem partem τὴν αἴσθησιν ἐμποιεῖν dicit (Stob. Ecl. p. 798), quod Lucretius quoque refert. At si solis hominibus tribuitur consequatur necesse est bestias αἴσθησιν non habere, quod tamen nemo affirmabit. Ergo aut τὸ λογικὸν non constat ex quarta illa parte, aut haec pars plus efficit quam τὴν αἴσθησιν, quod fortasse Epicurei censent. Lucretius autem non dicit, quí fiat ut homines sapiant, bestiae desipiant, ergo vix haec quaestio solvi potest. — Satis videmur exposuisse poetam a Graeco phi-

1) 279, 277.

losopho non dissentire, neque ad doctrinam eius quidquam addidisse, neque quae vitiosa sint emendasse: nihil fecit quam eius philosophiam interpretari optima cum fide. Ad partem, qua animum mortalem esse demonstrat, transeamus.

Ex iis, quae praecedunt, cuique patebit, philosophum, cui haec placuerint, omnino animo immortalitatem tribuere non potuisse. Sed tamen Lucretius operam dedit (vs. 417—828), ut animi naturam nativam ac mortalem esse multis argumentis demonstraret, quo facto sperabat se omnem mortis timorem ex hominum corde expulsurum esse. Omnia autem, quae profert, argumenta in iis nituntur, quae supra de animo dixit et plane cum Epicuri doctrina congruunt. Num tamen omnia ex Epicuri scriptis excerpserit, vix affirmare possumus fragmentorum paucitate impediti: ipse autem dicit ea „conquisita diu dulcique (esse) reperta labore" (419), quibus verbis docemur quanta industria in hanc operis partem incubuerit poeta, atque ea argumenta non deinceps ex Epicuri libris περὶ φύσεως transscripta esse [1]).

Primum probat animum ita cum corpore coniunctum esse ut una cum eo varias subeat mutationes, quod supra iam paucis indicavit (vs. 417—668). Vasis imago, 440 seqq. cum omnino optime exprimat Epicureorum opinionem, qui animi atomos corpore contineri volebant, cum Stoici animum dicerent corporis atomos continere, saepius ab eo usurpatur et ab aliis philosophis (Cf. Munr. ad vs. 440). Simili imagine et eodem argumento Epicurum usum esse Stob. Ecl. p. 922 testatur: „Εἰ δὲ παρέσπαρται μὲν καὶ ἔνεστιν ἡ ψυχὴ τῷ σώματι καθάπερ ἐν ἀσκῷ πνεῦμα περιεχομένη ἢ συμμιγνυμένη πρὸς αὐτό, καὶ ἐγκινουμένη ὥσπερ τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα διὰ τῶν θυρίδων φαινόμενα, δῆλόν που τοῦτο ὅτι ἔξεισιν μὲν ἀπὸ τοῦ σώματος, ἐν δὲ τῷ ἐκβαίνειν διαφορεῖται καὶ διασκεδάννυται (578—612), ὥσπερ Δημόκριτος καὶ Ἐπίκουρος ἀποφαίνεται. Deinde (hoc alterum est argumentum) cum corpore

[1]) Refellere mihi videtur hic versus cum Martham (le poême de Lucrèce etc. pag. 134) dicentem „il ne fait probablement que mettre en vers quelque livre épicurien" tum Munr. affirmantem: I have no doubt they were all set forth in one of the 37 books of Epicurus περὶ φύσεως (ad vs. 417 pag. 483).

pariter nasci et crescere et senescere videmus animum: ergo una cum eo interit et dissolvitur „ceu fumus, in altas aeris auras" [1]). Idem argumentum attulisse alios Epicureos et fortasse Epicurum ipsum apparet e Voll. Herc VI col. 7 ubi fragmentum invenimus Metrodori huiusmodi: *ἐπεὶ γὰρ ἡ ψυχὴ μικρῷ σώματι παρατείνουσα κατὰ τὴν παιδικὴν (τροφὴ)ν αὔξεται* et Sext. Emp. adv. mathem. IX. 72: *καὶ καϑ' αὑτὰς δὲ διαμένουσι καὶ οὐχ, ὡς ἔλεγεν ὁ Ἐπίκουρος, ἀπολυϑεῖσαι τῶν σωμάτων καπνοῦ δίκην σκίδνανται.*

Tertium hoc affert documentum: ut corpus morbis afficitur sic animus curis et doloribus, si corpus aegrotat animus saepe delirat: ergo mortalis est, „nam dolor ac morbus leti fabricator uterquest". Eodem prorsus modo Panaetium Stoicum ratiocinatum esse videmus e Tulliano loco: Quaest. Tusc. I. 32, 79: „alteram autem affert (Panaetius) rationem; nihil esse, quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum; dolere autem animos; ergo etiam interire."

Ebrietas idem probat nam „vemens violentia vini" animum conturbat: at si conturbari potest, paullo vehementior causa eam dissolvet. Praeterea epilepsia idem docet; si, dum in corpore est et ab eo continetur, animus iam ita iactari et distrahi potest, quî in aere aperto cum validis ventis pugnare poterit? Denique medicinis mentem sanari posse videmus, quod probat eam mutabilem esse: sed si mutari potest, mortalis est, nam „quodcumque suis mutatum finibus exit continuo hoc mors est illius quod fuit ante" [2]). Haec omnia et quae sequuntur, nempe animam mortalem esse, quoniam homines membratim vitalem deperdere sensum videmus et animus ergo simul scindatur necesse est [3]), — porro animum interire, cum hominis pars sit et partes per se esse non possint a toto divulsae, cumque id, quod modo, dum arto conexu cum corpore esset contextum, ageret, extra corpus vivere non possit [4]), — haec omnia necessario consequi ex arto vinculo, quod

---

1) 445—458.
2) 459—523.
3) 523—45.
4) 545—78.

Epicurus inter corpus et animum esse decrevit, quisque facile videbit. Huius vinculi naturam autem uberius hisce verbis descripsit Epicurus: (animus extra corpus sensus non habet), *οὐ γὰρ οἷόν τε νοεῖν αὐτὴν αἰσθανομένην μὴ ἐν τούτῳ τῷ συστήματι ταῖς κινήσεσι ταύταις χρωμένην, ὅταν τὰ στεγάζοντα καὶ περιέχοντα μὴ τοιαῦτ' ᾖ ἐν οἷς νῦν οὖσα ἔχει ταύτας τὰς κινήσεις* [1]), ad quae verba etiam referendi sunt vss. 613—32. Secundum Epicurum et discipulum Lucretium ergo animus revera est totum quoddam, sed totum, quod factum est ex materiae atomis et hanc ob causam interit si in partes frangitur et dividitur; cum autem radicibus, tamquam arbor in terra, cum corpore sit concretus et una cum corpore augeatur et deminuatur, rumpatur et dividatur necesse est, cum e corpore exit [2]). Cum autem ita censerent, neque Pythagoreis neque Platonis discipulis assentiebantur neque reliquis, qui similiter animum totum quoddam esse affirmabant, sed a materiae natura prorsus alienum, ita ut per se, sine corporis auxilio, esse et agere posset et revera ante hominem natum fuisset et post mortuum per se futurus esset, cum nascentium corpori perfecto integer insinuaretur et mortuorum corpus intactus relinqueret. Horum argumenta et totam doctrinam cum nimis essent subtilia, magni aestimare vix poterant, quare in refutatione non ad illorum doctrinae principia redierunt, sed a suis principiis profecti, se eam facile oppugnare posse credebant. Omnino cum arti dialecticae operam nullam darent Epicurei, in qua tamen arte argumenta Platonis eiusque scholae maxime nitebantur, nunquam Academicorum argumenta apte refellerunt. Eo magis tamen ad vulgi opiniones et errores confirmanda aut oppugnanda se contulerunt, qua in re Lucretius quoque docilem se praebuit magistri discipulum.

Anima et animus etiam si intacta corpus intrant tamen in permanando per membra dissolvuntur, „dum quasi per caulas omnes diduntur in artus particulae, quibus haec animi natura creatur,

[1]) D. L. X. 66. Cod. Leid.: *αὐτὸ αἰσθανόμενον μὴ ἐν τούτῳ τῷ συστήματι ταῖς κινήσεσι ταύταις χρώμενον.* Cob., Menagium secutus, *καὶ ταῖς κιν.*, qua coniunctione opus esse non video: secundum Epicurum compositio motus efficit.

[2]) 578—612, 632—668.

quae nunc in nostro dominatur corpore nata ex illa, quae tum periit partita per artus" [1]). Lucretius igitur e sua ipsius doctrina hic profert argumenta, quibus adversarios impugnet, non reputans eos animo materialem naturam abiudicare. Porro si illi philosophi censent animum in corpus novum intrantem oblivisci quae antea ei contigerint [2]), hoc paulum abest a morte, cum ita mentis natura mutetur [3]). „Denique conubia ad Veneris partusque ferarum esse animas praesto deridiculum esse videtur, exspectare immortalis mortalia membra innumero numero, certareque praeproperanter inter se quae prima potissimaque insinuetur; si non forte ita sunt animarum foedera pacta, ut quae prima volans advenerit insinuetur prima, neque inter se contendant viribus hilum" [4]). Hisce iocosis versibus, quos Lucretio ipsi tribuendos esse censemus, eorum irridet opinionem, qui animos ante ipsum natum corpus iam praesto esse rati, quamque animam suum sibi corpus eligere et quasi fabricari censebant [5]). Illud afferens phaenomenon de vermibus e stercore et corporibus putridis nascentibus, de quo iam in fine libri secundi sermo erat, illorum stultitiam ostendit. Anima vestigia quaedam sui relinquit in corpore mortuo, unde apparet illam non esse immortalem, quoniam sui aliquid in corpore relinquit (libata recessit 714). Sin contendas novas esse animas in illis animantibus, explices necesse est, cur tandem in haec aut alia corpora animae insinuentur, nam cur sibi facerent corpora animae cum extra corpus feliciores essent? [6]). Animae nec semina animalium venantur (727) nec perfectis cor-

---

[1]) Vs. 677—711.

[2]) Platonis Rep. X. 621 A. Phaedo 76 c.

[3]) Vs. 670—78.

[4]) Vs. 776—83.

[5]) Simile quid, non idem, apud Plat. Phaed. 78 D, *εἰ γὰρ ῥέοι τὸ σῶμα καὶ ἀπολλύοιτο ἔτι ζῶντος τοῦ ἀνθρώπου, ἀλλ' ἡ ψυχὴ ἀεὶ τὸ κατατριβόμενον ἀνυφαίνοι ἀναγκαῖον μέντ' ἂν εἴη* ait Cebes, animus corpus sibi fabricatur. Platoni placuisse videtur animos fuisse ante corpus natum: hanc tamen doctrinam ita describit, mythis et fabulis adhibitis, ut vix videri possit, quae propria sit eius opinio. Cf. Karsten, Verhandeling over Palingenesie en Metempsychosis, pag. 40, 41. Phaed. p. 81 seqq. Gorg. extr. p. 523 seqq. Phaedr. p. 248. Republ. X, p. 618 seqq.

[6]) Vs. 713—40.

poribus insinuantur, sed cum corpore nascuntur et intereunt. Suum certum quaeque semen habet anima, unde nascitur (746). Ergo „cur milia multa animarum conveniant unde una recesserit" (724) non difficile est explicatu. Eodem modo, quo ex uno duobusve corporibus multa nascuntur corpora, cum multa insint semina, multae animae quoque nascuntur unde una recessit, cum multa insint semina animarum in uno animali. Ex Stobaei Ecl. p. 900 videre licet hanc doctrinam cum Epicuri vel discipulorum placitis congruere: *Οἱ δ' ἐν ἀπείροις κόσμοις, ὥσπερ δὴ οἱ περὶ Δημόκριτον καὶ Ἐπίκουρον, ἀπὸ τῶν ἀπείρων ἀτόμων κατὰ συντυχίαν συνερχομένων συνίστασθαι τὰς ψυχὰς ἡγούμενοι, ἀπείρους αὐτὰς εἶναι ἑπομένως ταῖς οἰκείαις ὑποθέσεσιν ἀποφαίνονται. Καὶ οἱ μὲν ἐκ σπερμάτων αὐτὰς γεννῶντες ἑκάστου δυναμένου πολλὰ σπείρειν, καὶ τοῦδε προϊόντος ἀεὶ καὶ οὐδαμῇ ἱσταμένου, κατὰ τὴν γένεσιν καὶ ἐν τῷ γίγνεσθαι ἀεὶ τὸ ἄπειρον ἀπολείπουσιν. Οἱ δὲ κατὰ μεταβολὴν ἐξ ἑνὸς ζῴου φθειρομένου καὶ πολλὰ ζῷα καὶ πολλὰς ζωὰς παράγοντες ἐν τῷ μεταβάλλειν συνεχῶς, καὶ μηδέποτε ἐπιλείπειν τὴν ἐκ τῆς μεταβολῆς διαδεχομένην ἀειγενεσίαν ταύτῃ τὸ ἀπέραντον πλῆθος τῶν ψυχῶν ἐπινοοῦσιν.* Praeterea quoniam quodque animalium genus suum habet ingenium, „leonum genus acrem violentiam, volpes dolum, cervi fugam", dubitari non potest quin suo „semine seminioque vis animi pariter crescat cum corpore toto" [1]). Si autem „in tenero corpore tenerascit mens", quis est qui animos mortales esse negare possit?

Denique ut omnia paucis comprehendat, demonstrat immortalitatem animi prorsus repugnare rationi, quam per totam naturam videmus adhibitam. „In aethere non arbor, non aequore salso nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis, nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse". „Certum ac dispositum est ubi quicquid crescat et insit". Qui autem cum hoc totius naturae ordine concineret animum etiam extra corpus vivere posse et solum a „naturae foederibus" liberum esse? [2]). Sed rationi nostrae ipsi repugnat, eo modo, ut adversarii putant, immortalia cum

---

[1]) Vs. 741—775.

[2]) Vs. 782 – 97. Eodem modo ratiocinatus est vs. 546 seqq. 613 seqq.

mortalibus coniungi posse. „Quippe etenim mortale aeterno iungere et una consentire putare et fungi mutua posse desiperest: quid enim diversius esse putandumst aut magis inter se disiunctum discrepitansque, quam mortale quod est immortali atque perenni iunctum in concilio saevas tolerare procellas"? [1]).

Saepius iam dictum est hoc potissimum egisse Epicureos et hanc ob rem solam tantam eos dedisse operam naturae studio, ut a mortis metu homines liberarent. Ad hunc finem petendum omnis pertinebat demonstratio de animi mortalitate. Sed hoc nondum satis esse videbatur: erant plures, quae solvi vel refelli debebant difficultates. Ut eas quoque amoveant, multa afferunt et Epicurus et Lucretius argumenta, quae apud utrumque fere sunt eadem. Omnia ad hanc sententiam referenda sunt: „συνέθιζε δ' ἐν τῷ νομίζειν μηθὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον, ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει, στέρησις δ' ἐστὶν αἰσθήσεως ὁ θάνατος [2]). Cum autem animo dissoluto sensu careamus, non sumus, nam coniunctio corporis et animi sola facit hominem. Τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος οὐθὲν πρὸς ἡμᾶς, ἐπειδήπερ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δ' ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. οὔτ' οὖν πρὸς τοὺς ζῶντας ἐστὶν οὔτε πρὸς τοὺς τετελευτηκότας ἐπειδήπερ περὶ οὓς μὲν οὐκ ἔστιν, οἱ δ' οὐκέτι εἰσίν [3]).

Hae sententiae a Lucretio porro illustrantur. Pericula et miseriae temporum praeteritorum veluti eorum, quibus bella Punica gerebantur nos non angunt, quia nondum eramus: ita quae post mortem nostram fient, etiam „si terra mari miscebitur et mare coelo" nihil sunt ad nos, qui tum non erimus [4]). Porro „et si iam nostro sentit de corpore, postquam distractast, animi natu-

---

[1]) Vs. 800—805. Vs. 806—818 huc non referendos esse recte ostendit Lachm. Ceterum vix credo vs. 818—29 suo loco scriptos esse, cum languidam contineant repetitionem argumentorum, quae iam saepius sunt tractata: etiam versus 805 et praecedentes multo aptiores nobis videntur, qui totam de mortalitate animorum doctrinam concludant.

[2]) D. L. X. 124.

[3]) D. L. X. 125. Stob. Flor. CXVIII. 30. Sextus pyrrh. hyp. III. 229.

[4]) Vs. 830—42.

ra animaeque potestas, nil tamen est ad nos, qui comptu coniugioque corporis atque animae consistimus uniter apti" [1]). Nos post mortem non amplius erimus, sed corpus nostrum fortasse aliquando rursus existet cum eodem animo coniunctum. Cum enim animus et corpus constent e complexione secundum certum ordinem collocatarum atomorum, negari non potest, cum per immensi temporis praeteriti spatium, tum per immensa saecula futura, iisdem causis agentibus, eandem aliquando redire congregationem atomorum et corporis et animi ita, ut idem homo rursus existat. Attamen quamquam idem est homo, quod ad corporis et animi formam et vitam pertinet, tamen nihil hoc ad nos; memoriam superioris vitae amisimus, non „memori id quimus reprehendere mente: inter enim iectast vitai pausa, vageque deerrarunt passim motus ab sensibus omnes" [2]). Ergo cum perpetuo abrumpatur vita, „mortalem vitam mors cum immortalis adimat" [3]), non possumus quae antea mala passa est eadem atomorum conplexio, qua nunc nos vigemus, mente connectere cum praesentis temporis statu: ergo nil in morte nobis est timendum.

Negari non potest in his omnibus Lucretium sibi constare optime. Sed etiam ex Epicuri scriptis eum hausisse cum nonnullis indicatur documentis, tum eo, quod haec omnia necessario consequuntur ex iis, quae supra laudavimus Epicuri verbis. Cum hoc quod dicit nihil ad nos pertinere quod ante ortum nostrum factum sit neque quod post mortem usuventurum sit, quod repetit vs. 972 „respice item quam nil ad nos ante acta vetustas temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante. hoc igitur speculum nobis natura futuri temporis exponit post mortem denique nostram", praecipue conferenda sunt haec Crantoris veteris academiae philosophi verba, quae apud Plut. in Consol. ad Apollon. cap. 15 legimus: *„εἰς τὴν αὐτὴν οὖν τάξιν οἱ τελευτήσαντες καθίστανται τῇ πρὸ τῆς γενέσεως. ὥσπερ οὖν οὐδὲν ἡμῖν ἦν πρὸ τῆς γενέσεως οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακόν, οὕτως οὐδὲ μετὰ τὴν τελευτήν, καὶ καθάπερ τὰ πρὸ ἡμῶν οὐδὲν ἦν*

---

1) Vs. 843—46.
2) Vs. 858 seqq.
3) Vs. 869.

πρὸς ἡμᾶς, οὕτως οὐδὲ τὰ μεθ' ἡμᾶς οὐδὲν ἔσται πρὸς ἡμᾶς [1]). Cum autem Epicurus multa sibi assumpserit et e Peripateticorum et e Platonicorum scriptis, quae ad suam doctrinam quadrarent, quis est qui neget, eum hanc sententiam quoque Crantoris sibi assumpsisse? Cum porro Epicurus multos esse dixerit mundos et idem dixerit de animis [2]), etiam docuisse videtur easdem animorum et corporum atomorum complexiones saepius exsistere. Praeterea M. Terentius Varro in libris, quos conscripsit de gente populi Romani, haec verba protulit, quae Augustinus [3]) commemorat: „Genethliaci quidam scripserunt esse in renascendis hominibus quam appellant παλιγγενεσίαν Graeci: hac scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, *ut idem corpus et eadem anima*, *quae fuerint coniuncta in homine aliquando*, *eadem rursus redeant in coniunctionem.*" Epicurus sane nunquam dixerit post annos quadringentos quadraginta eandem redire coniunctionem, quod in eius systema non quadrant eiusmodi periodi, veruntamen animi discidium a corpore non perpetuum esse sed homines renasci, iam alii philosophi ante Epicurum docuerant, [4]) nec quicquam prohibet, quominus credamus simile quid concessisse Epicurum Stoicis. [5]) Hi tamen putabant animos totos servari corpore dissoluto, quod Epicurus concedere non potest. In eius doctrina nihil est, quod iteratam earundem atomorum compositionem oppugnare possit: sed haec altera coniunctio tantum fieri *potest* et infinito demum casuum numero verisimilis, quin etiam certa fit.

In reliqua huius libri parte cum poeta homines moneat ut mortem communemque naturae sortem timere et deplorare desistant, ea paucis attingemus cum de eius morali doctrina nobis disserendum erit. Antequam ad quartum librum tractandum transeamus, animadvertere liceat mirum esse Lucretium, etsi alibi, in fine huius libri, ubi de inferorum tormentis agens, ea dicit ficta esse ex iis, quae

---

1) Cf. Cic. Disp. Tusc. I, 38, 91.

2) Cf. Stob. l. l. supra.

3) De Civit. Dei libr. XXII C. 2ꝰ.

4) Plat. Phaedr. 249.

5) Cf. Zeller III, 1, pag. 141 no. 1.

nobis viventibus contingant malis, nunquam conatum esse eandem methodum adhibere, ut originem opinionis de animorum immortalitate indicaret et explicaret, ut sic eam falsam esse demonstraret. Eo magis hoc miramur, quoniam I. 132, IV. 33 et alibi, imprimis autem V. 62 „sed simulacra solere in somnis fallère mentem, cernere cum videamur eum, quem vita reliquit" et IV. 732 „... videmus ... simulacraque eorum, quorum morte obita tellus amplectitur ossa", elementa eiusmodi argumentationis invenimus. Fortasse si minus accurate et quasi humiliter Epicurum secutus esset, quo etiam factum est ut physicae doctrinae viam vix aut nunquam reliquerit, ipse poeta, qui animi motibus et impulsibus tantum studii impenderit [1], facilius in hoc argumentum incidisset.

---

[1]) Cf. exempli gratia initium libri II et VI., 593.

CAPUT QUARTUM.

DE SIMULACRIS.

(Lucr. lib. IV).

Inferorum illa formido, quam Epicurei imprimis oppugnare et expellere ex hominum animis studebant, vulgi et nonnullorum philosophorum opinionibus augeri videbatur, qui credebant hominum animos ante vitam et post mortem, a corpore seiunctos humana specie indutos, per terram et coelum vagari, atque daemonum instar horribiles aspectu miseros mortales insequi et in somniis per horridas noctes viventium animos perterrere. Hanc daemonum speciem cum Empedocles et Plato tum Xenocrates hominum animis tribuisse videntur. Huc quoque referendi sunt Lucretii versus [1]: „nec ratione alia (quam humana specie) nosmet proponere nobis possumus infernas animas Acherunte vagari, pictores itaque et scriptorum saecla priora sic animas introduxerunt sensibus auctas." Haec autem superstitio nata esse videtur e spectris delirantium animos vexantibus, et ex iis quae videmus in somnis, cum saepe „figuras contuimur miras simulacraque luce carentum, quae nos horrifice languentis saepe sopore exciecierunt" [2]). Haec spectra, quae vulgus manes mortuorum esse credebat, Epicurei ut metum et angorem, quibus homines cruciarent, iis eriperent, secundum doctrinae principia explicare cona-

---

[1]) III, 627. Pro *humana specie* poeta manes *quinque sensibus* dicit praeditos, cum argumentum id poscat. Tenendum est eum ex condicione loqui: „*si* immortalis natura animaist."

[2]) Lucr. I. 132 seqq. IV. 33 seqq.

bantur, Democritum sequentes. Cum enim ea re vera esse negare nollent, neque affirmare ea inanes esse animorum imagines, eo ipso cogebantur ut veritatem iis tribuerent. Porro quoniam secundum Epicureos praeter inane nihil revera est nisi materies, necesse erat, ut ex atomis ea *εἴδωλα* facta esse faterentur et ab iis, quorum similitudinem praeberent, corporibus dissolutas imagines. Quod si semel ostendissent, metus et terror ille paullatim futurum erat ut evanescerent, vera naturae ratione expulsi. „Ne forte animas Acherunte reamur effugere aut umbras (manes) inter vivos volitare, neve aliquid nostri post mortem posse relinqui, cum corpus simul atque animi natura perempta in sua discessum dederint primordia cuique" [1]). Tota ergo haec doctrina a poeta exponitur ob eandem causam atque praecedentia, ut a mortis metu homines liberet, quod Epicurus quoque confitetur dicens, nisi metus nos vexaret, *οὐκ ἂν προσδεῖσθαι ἡμᾶς φυσιολογίας*.

Omnino in hac carminis parte, quae est de sensibus, poetam Epicurum secutum esse paucis ostendemus. Primo demonstrat Lucretius e corporibus emissas imagines, quas cum membranis vel cortice vel anguis exuta veste comparat [2]), cum eundem servent ordinem atomorum, qui in corpore est, revera esse. Eodem modo hoc facit atque Epicurus [3]), ostendens hanc doctrinam analogiam habere neque repugnare iis, quae sensibus percipiantur: nam ex eorum doctrina hoc verum est, quod sensibus probatur, aut non refellitur. Singulatim nemo haec simulacra cernere potest „et adsiduo crebroque repulsu reiecta" demum apparent, veluti speculorum ex aequore visa [4]). Cum autem a superficie

---

[1]) IV. 37—41.

[2]) „Corporum exuviae" nominantur Macrob. Saturn. VII. c. 14.

[3]) IV. 42—107. D. L. X. 46.

[4]) Vs. 87, 103 seqq. Voll. Herc. II. col. III. simile quid legi debere videtur. D. L. X. 48: *ῥεῦσις ἀπὸ τῶν σωμάτων τοῦ ἐπιπολῆς συνεχὴς συμβαίνει, οὐκ ἐπίδηλος αἰσθήσει διὰ τὴν ἀνταναπλήρωσιν* .. Cum igitur Lucretius contendat simulacra singula ob tenuitatem non videri sed solummodo adsiduo crebroque repulsu reiecta, Epicurus ait nos imagines a rerum superficie defluentes non qua tales, id est ab ipsis rebus discretas videre, quoniam intervalla, quibus solis eam distinctionem cernere possemus, perpetua illa *ῥεύσει*, quae ea complet, videri non possunt: haec

corporum proficiscantur, formam servare possunt, nec scinduntur ut fumus et vapor, qui ex interiore corporum parte procedunt, sed eo quoque fit ut exteriorem partem corporum tantum videamus [1]). Haec simulacra porro ad infinitum sunt tenuia [2]), ita ut eorum dissolutione corpora non diminuantur. Ut probet revera tantam tenuitatem exstare posse, poeta profert exemplum, quo subtilitatem atomorum intellegere possimus: „animalia sunt iam partim tantula, quorum extima (codd. *tertia*) pars nulla possit ratione videri . horum intestinum quodvis quale esse putandumst! quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus? quantula sunt! quid praeterea primordia quaeque, unde anima atque animi constet natura necessumst? nonne vides quam sint subtilia quamque minuta"? [3]). Cum ergo tam tenues sint atomi, sequitur rerum simulacra, quae crassitudinem non habeant nisi unius atomi, *ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κεχρῆσθαι* [4]).

Haec conclusio tamen in codicibus nostris non legitur, qui procul dubio magna lacuna laborant, cum vs. 127 versum 126 excipere non possit. Lachm. putat periisse versus Lucretianos XXV et capitis titulum; eos autem continuisse, praeter superiorem illam conclusionem, sententiam huiusmodi: „esse item maiora simulacra, scilicet e multis atque innumeris inter se coniunctis effecta, ut fulgorem ignis aetherii, quo inter tonitruum sonitus omnia occupentur et contineantur, *qui fulmine claro omnia per sonitus arcet*, *terram*, *mare*, *coelum*". Haec postrema verba potius Ennii esse videntur quam Epicuri [5]). Ceterum quae

---

intervalla vi percipiuntur, qua imagines, aerem propellentes, in sensus nostros incurrunt. Nunquam res ipsas videmus, earum imagines tantum, quae a nobis cum ipsis rebus confunduntur.

[1]) IV. 88 seqq. D. L. X. 49.

[2]) D. L. X. 46: *λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων*. 47: *χρήσιμον δὴ καὶ τοῦτο κατασχεῖν τὸ στοιχεῖον, ἤτοι ὅτι τὰ εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κέχρηται.*

[3]) IV. 116.

[4]) D. L. X. 48. Epicurus dicit in simulacris *μὴ δεῖν κατὰ βάθος τὸ συμπλήρωμα γίνεσθαι*, ergo unius atomi habent crassitudinem.

[5]) Cf. Lachm. et Munr.

ante haec scripsit Lachm. probare non possumus. Capitulorum enim index, initio libri IV affixus, continet haec: 1° sibi iucundissimum esse quod claram lucem mortalibus ostendat, 2° de simulacris, 3° de imaginibus, 4° quam parva sint animalia, 5° esse item maiora, 6° de nubibus, 7° de celeritate, 8° tactu videri, cett. E capitulo quinto, *esse item maiora*, Lachm. efficit, poetam in versibus perditis sermonem instituisse de simulacris maioribus. Sed quisque intellegit hoc minime aptum esse. Nam etiamsi aliquid ex iis capitulis effici posse concedamus, (quod autem nolumus, quoniam stolida sunt et inepta, ut quartum illud, et praeterea magnae partes carminis veluti III. 713—978, V. 925—1161, iis carent), tamen hoc non effici potest. Parvis animalibus opponi non possunt nisi maiora animalia. Etiam sermo non est de parvis simulacris neque de maioribus, sed de tenuitate. Ergo si quid ex eo capitulo efficere cupimus erit hoc: ostendit poeta minimorum animalium partium exemplo allato, quam parvae sint atomi, ut ostendat quam tenuia sint simulacra. Sed non omnes atomi aeque sunt parvae: sunt etiam maiores: ergo simulacra etiam non omnia aeque sunt tenuia: ea, quae procedunt a corporibus, e maioribus factis atomis, maiora erunt iis, quae a ceteris dissolvuntur. Haec explicatio optime cum tota doctrina concinit. Deinde autem dixisse videtur poeta [1]) ob tenuitatem etiam levissima [2]) esse simulacra, ita ut „nulla vi cassaque sensu" [3]) — id est: ut singula sensibus nostris non percipiantur — per vacuum moveantur. Ex hac tenuitate et levitate explicari potest, cur tam celeri motu simulacra ferantur, in qua explicatione Lucretius et Epicurus plane consentiunt [4]). Deinde dicendum est, quomodo et quanta celeritate gignantur haec si-

---

[1]) Quod patet quoque e Voll. Herc. II. col. II . . *τως κουφα ει δ' (υ)περβαλλοντω(ς) (κου)φα δηλον ως και υπερβαλλοντως ταχεα.*

[2]) Vs. 18.

[3]) Vs. 128.

[4]) Vs. 175 seqq. Voll. Herc. II. col. I. *περ(ι) δε της κατα την φοραν υπαρχουσης ταχυτη(τος) νυν λεγειν επιχ(ειρ)ησομεν πρωτον μ(ε)ν (γαρ) η λεπτοτης μακραν (τ)ης απο των αισθησεων λεπτοτητος α(πεχουσ)α ταχυτητ(α) τ(ω)ν (ει)δωλων (κ)ατα τ(ην)(φορα)ν ανυπερβ(λητον) (εν)δε(ι)κνυται.*

mulacra, etiam alias esse imagines, quae sponte sua in aere fiant. Hunc ordinem, quem ratio poscit et Epicuri ad Herodotum epistola ostendit [1], cum sine ulla dubitatione libri περὶ φύσεως eundem praebuerint, Lucretiani codices mutatum produnt. Post illam lacunam enim in qua de tenuitate et levitate simulacrorum sermonem fuisse vidimus, primum legimus et alia esse simulacra, quae sponte sua gignantur [2], deinde quam facili et celeri ratione gignantur [3]. Lachmannus, qui primus ordinem mutatum esse cognovit, putat poetam, cum a se praetermissa esse quae vs. 129—142 continent intellexisset, haec in chartas ita coniecisse, ut ea nullo certo loco reposuerit. Deinde cum hisce versibus iungendos esse censet vs. 168—175.

Salva viro doctissimo debita reverentia nos tamen malumus partes carminis sic nexas inter se fuisse: —128, 176—229, 143—167, 168—175 [4]), 129—142. Ut hanc opinionem defendamus liceat nexum vs. 177—229 cum —128 indicare. Praeter argumentum, quod ex Epicuri scriptis sumpsimus haec animadvertas. Primum tenuitatem et levitatem simulacrorum tamquam eorum celeritatis causas affert 183, 196, 195 (apud Lachm.); deinde ad *nulla vi*, *cassaque sensu* (128) pertinere videtur 193 et 194 „quod parvola causa est procul a tergo quae provehat atque propellat"; tum, si quid videmus, 197, 198 „facile ut quasvis penetrare queant res et quasi permanare per aeris inter-

---

[1]) D. L. X. 46, 47, 48.

[2]) Vs. 129—140.

[3]) Vs. 142—175.

[4]) Hisce versibus poeta aliud affert argumentum, quo videamus, quanta celeritate imagines gignantur. Serenum caelum perquam subito turbidum et obscurum fit interdum, quoniam leves et tenues nubes summa celeritate propter ipsam levitatem et tenuitatem gignere et confluere possunt. At quanta celeritate tum imagines gigni posse debent, cum ne verbis quidem exprimi possit, quanto nubibus sint tenuiores. Patet ergo post vs. 175 excidisse unum versum exprimentem, quam facili et celeri ratione gignantur. Lachm. animadvertit vs. 174 de *imagine* agi, 176—78 de *simulacris*, et vs. 179 (*tendat*, codd. *tendit*) ad vocem *imago* vs. 174 referendum esse et post illum versum collocandum. Sed discrimen quod Lachm. ponit inter imagines et simulacra est commenticium et vs. 179 eo loco, ubi in codd. positus est, ferri potest, modo *tendant* legatur. — Nexum, quem supra conieci, defendo etiam postquam Briegeri opinionem legi in Phil. XXIX. p. 423, cum Christio censentis vs. 129—142 post 109 collocandos esse.

vallum", praecedere debent vs. 145 seqq. [1]), ubi haec uberius tractantur et partim emendantur. Denique vs. 225 seqq. aptissimi sunt, qui transitum faciant ad vs. 143. Vs. 216 enim concludit poeta *esse* simulacra, vs. 227 ea perpetuo mitti e corporibus, vs. 143 explicat quanta celeritate oriantur. Horum autem consecutio si talis est, ceterorum ordo inde sequitur.

De celeritate atomorum Epicurus dicit [2]): *χρήσιμον δὴ καὶ τοῦτο*

---

[1]) *Vitrum* cum Munr. lego pro *vestem*. Briegeri emendationem versus 197 (Philol. XXIX. pag. 437) probare non possum: non video cur „*quavis* penetrare queant *se*" non vero „*quasvis res*" penetrare.

[2]) D. L. X. 47. Verba haec: *χρήσιμον δὴ καὶ τοῦτο κατασχεῖν τὸ στοιχεῖον, ἤτοι ὅτι τὰ εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κέχρηται· ᾧ μηθὲν ἀντιμαρτυρεῖ τῶν φαινομένων· ἢ ὅτι καὶ τάχη ἀνυπέρβλητα ἔχει πάντα πόρον σύμμετρον ἔχοντα πρὸς τῷ ἀπείρῳ αὐτῶν μηθὲν ἀντικόπτειν ἢ ὀλίγ' ἀντικόπτειν, πολλαῖς δὲ καὶ ἀπείροις εὐθὺς ἀντικόπτειν τι* , plura continent, quae emendanda sunt. Cum Schneidero et Ambrosio („perutile est *autem* et hoc tenere") non corrigendum est *δὴ* in *δὲ*. Post brevem enim explanationem de tenuitate et motu per vacuum sic concludit Epicurus: perutile est igitur et hoc (*τοῦτο* Kr. Gr. § 51, 7 A 3) tenere elementum, nempe (pro codicum lectione *εἰθ'* legendum est *ἤτοι* = *nempe*) quod (non video cur *ὅτι* hic *quoniam* significare debeat, cum tamen in initio § 48 ubi de eodem verbo *κατασχεῖν* pendet, per *quod* vertatur) simulacra tenuitatibus summis utuntur (quod per epexegesin rursus explicat, ad fundamentum totius eius logicae artis id referens, nempe id verum esse quod sensibus probatur aut non refellitur) cui nihil ex apparentibus reclamitat, (pro *ἢ ὅτι καὶ* cum Schneidero lege *καὶ ὅτι καὶ*) tum etiam quod celeritates habent insuperabiles, ubicumque transitum aptum habentia (pro *πάντα* malim *πάντη* sive *πάντῃ* ; Lucr.: ut quasvis penetrare queant res: versionem „meatum modicum" non probo).

Quae tum sequuntur non intellego; quid est *τὸ ἄπειρον αὐτῶν* (*εἰδώλων*), cui nihil vel pauca resistunt? quo referendum est illud *πολλαῖς*? ad atomosne cum de simulacris sermo sit? Videtur mihi philosophus hoc dicere: quamdiu in infinito spatio partim vacuo partim aere repleto vagantur simulacra, nihil vel pauca iis resistent: cum autem ad terram venerunt statim multis rebus refringuntur: multa simulacra per spatium statim ad oculos penetrant: alia tamen primum refringuntur vel etiam eo ipso ad oculos non perveniunt. Hoc itaque legere velim: *διὰ τὸ ἐν ἀπείρῳ αὐτοῖς μηθὲν ἀντικόπτειν ἢ ὀλίγ' ἀντικόπτειν (ἄλλοις δὲ καὶ ἀπείροις εὐθὺς ἀντικόπτει τι.)*

Quae praecedunt: *οὐ μὴν οὐδ' ἅμα κατὰ τοὺς διὰ λόγου θεωρητοὺς χρόνους τὸ κάτω φερόμενον σῶμα* (Steph. *κατὰ τὸ φερόμενον σῶμα*, Gass. coniecit *τὸ ἀντικοπτόμενον σῶμα*) *ἐπὶ πλείους τόπους ἀφικνεῖται· ἀδιανόητον γὰρ καὶ τοῦτο συναφικνούμενον ἐν αἰσθητῷ χρόνῳ ὁθενδήποτε τοῦ ἀπείρου. ἐξ οὗ γὰρ ἂν περιλάβωμεν τὴν φορὰν τόπου ἔσται ἀφιστάμενον· ἀντικοπῇ γὰρ ὅμοιον ἔσται κἂν μέχρι τοσούτου* (Steph. *τούτου* Iunius in exemplari, quod est in biblioth. Lugd. sua manu e codd.

καρασχεῖν τὸ στοιχεῖον . . . . καὶ ὅτι καὶ τὰ τάχη ἀνυπέρβλητα ἔχει, πάντη πόρον σύμμετρον ἔχοντα διὰ τὸ ἐν ἀπείρῳ αὐτοῖς μηθὲν ἀντικόπτειν ἢ ὀλίγ' ἀντικόπτειν (ἄλλοις δὲ καὶ ἀπείροις εὐθὺς ἀντικόπτει τι) quibuscum conferri potest quod Lucretius canit IV. 190: „qua propter simulacra pari ratione necesse est immemorabile per spatium transcurrere posse temporis in puncto, primum quod parvola causa [1]) est procul a tergo quae provehat atque propellat, deinde quod usque adeo textura praedita rara mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res et quasi permanare per aeris intervallum". Denique non possumus hunc locum finire, antequam animadverterimus Lucretium inter cetera argumenta unum afferre, in quo propriam eius sagacitatem desideramus. Versu 209: „Hoc etiam, inquit poeta, in primis specimen verum esse videtur quam celeri motu rerum simulacra ferantur, quod simul ac primum sub diu splendor aquai ponitur, extemplo caelo stellante serena sidera respondent in aqua radiantia mundo. *Iamne vides igitur quam puncto tempore imago aetheris ex oris in terrarum accidat oras?*" At in hac ipsa conclusione inest vitium. Semper enim sine ulla interruptione imagines docuit a corporibus dissolvi atque per aerem volitare [2]).

---

coll. adscripsit τοσούτου) τὸ τάχος τῆς φορᾶς μὴ ἀντικοπτόμενον καταλίπωμεν huc non referenda sunt. Quis enim est qui eorum in hoc nexu significationem perspiciat? De uno vel pluribus locis in superiore paragrapho non erat sermo, neque de corpore quod deorsum fertur, neque de αἰσθητῷ χρόνῳ, quod τοῖς διὰ λόγου θεωρητοῖς χρόνοις opponi possit. Transponendam esse censeo hanc partem post paragraphum 62.

[1]) Parvola causa, ea nempe vis, quae simulacra a corporibus evellit et emittit. Mira sane est argumentatio celeritatem imaginum *permagnam* esse, cum *parvola* causa eas propellat, attamen cum Munroo *parvola* ad simulacra referre vel cum Susemihlio (Phil. XXIX. p. 434) versus aliquot interiisse putare nolim: potius cum Briegero (Phil. l.l.) puto in *parvola* vitium latere. Quae sit haec causa satis perspicuum est e comparatione cum solis luce, quae sequenti propellitur plaga, etsi accuratius eam describere poeta neglexit. Praeterea moneamus e mente Epicuri motum inseparabilem esse materiae proprietatem, D. L. X. 43: κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι. Sext. Emp. 10, 221 . . . τῆς ἀτόμου, ὅτε καθ' ἑαυτήν ἐστιν, ἀεικινήτου καθεστώσης. Vs. 195 eo loco, ubi Lachm. eum collocat, post vs. 205, apte positum esse credimus modo *ferantur* mute tur in *genuntur*.

[2]) Vs. 155. D. L. X. 48: ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων cett.

Ergo cum aquam effundo, eius superficies ea reicit stellarum simulacra, quae iam prope terram sunt lata neque tamen visibilia, nisi „speculorum ex aequore reiciuntur": aeque ac physici nos docent non sidera nos videre qualia nunc sunt, sed qualia erant cum radios emitterent, qui ad oculos nostros pervenerunt.

Multas praebuit haec Epicuri de simulacris doctrina difficultates antiquis et nobis praebet, quas ne Lucretius quidem sustulit. Unam tantum afferamus: quomodo possunt magnarum rerum imagines in oculos nostros (per acies) intrare? Uterque enim, Lucretius et Epicurus, docet imagines dissolvi a corporum superficie ita ut atomorum ordinem et posituram servent [1]), et formas similes habeant corporum formis [2]); ergo necesse est eandem habeant magnitudinem simulacra atque corpora unde proficiscantur [3]). Epicurus sane dicit: *κατὰ τὸ ἐναρμόττον μέγεθος εἰς τὴν ὄψιν ἢ τὴν διάνοιαν ὠκέως ταῖς φοραῖς χρωμένων* [4]), sed praeter obscuritatem in verbis *κατὰ τὸ ἐναρμόττον μέγεθος*, quî tandem de magnitudine rerum iudicare possumus, nisi imagines eandem habeant magnitudinem atque corpora unde proficiscantur? Ipse putat solis imaginem nobis eius magnitudinem ostendere [5]). — Praeterea quaeri potest cur in tenebris eas imagines non percipiamus? Sed satis iam haec sunt ut Ciceroni assentiamur dicenti: „puderet me dicere non intellegere si vos ipsi intellegeretis, qui ista defenditis" [6]).

Et tamen omnibus perpensis facere non possumus, quin iis hodierni temporis philosophis assentiamur, qui summas laudes Epicureis tribuunt et ob scientiae rationem et viam, quas secuti sunt, cum verum principium toti philosophiae tamquam fundamentum subiecerint, — et ob sagacitatem et industriam, quibus

---

[1]) D. L. X. 46, 48, *σώζουσα τὴν ἐπὶ τοῦ στερεμνίου θέσιν καὶ τάξιν τῶν ἀτόμων.*

[2]) IV. 45. D. L. X. 49 .. *ὁμοχρόων τε καὶ ὁμοιομόρφων.*

[3]) IV. 44 membranae vel cortex.

[4]) D. L. X. 49.

[5]) D. L. X. 91, *τὸ δὲ μέγεθος τοῦ ἡλίου . . τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται: εἰ γὰρ, φησί, τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀπεβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν.*

[6]) Cic. de Nat. deor. I: 39, 109. (Multae earum, quas Cicero hic Epicuro obicit difficultatum, eo oriuntur, quod ipse Graecum philosophum non perlegit.)

hoc principium ad totam doctrinam adhibere conati sint. Quoniam autem omnem veritatem in sensuum auctoritate sitam esse opinabantur, summum studium eo contulerunt, ut quomodo homo sensibus percipere veritatem et cognoscere posset explicarent, cum omnes Academicorum aliorumque philosophorum in dialectica arte subtilitates, quas meras nugas habebant, contemnerent.

Quod saepe in graves inciderunt errores minime miramur: contra, mirum fuisset si eo tempore iam omnia phaenomena, de quibus investigationem instituerunt, recte explicassent. Neque ipsa doctrina tanta laude est digna, sed potius hoc quod ubique naturae phaenomena diligenter observabant eaque ex doctrinae principiis explicare conati sunt. Maximam autem operam dederunt, ut visum explicarent. Eorum, qui lucem ex hominis oculis effundi in res opinabantur [1]), contempta doctrina, aliorum quatuor sensuum secuti exemplum [2]), extrinsecus nos accipere quod visus sensum moveat, docebant.

Δεῖ δὲ καὶ νομίζειν, ait Epicurus [3]), *ἐπεισιόντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, τὰς μορφὰς ὁρᾶν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι*: hoc autem fieri non potest nisi imaginibus quibusdam, quae easdem habeant formas eosdemque colores atque res unde demanant. Cum in tenebris rem quandam tangimus, dicit poeta interpres, cognoscimus eandem eam habere formam, quae videtur in luce: consimili igitur causa tactus atque visus afficiuntur.

Non possumus ergo nisi simulacris a rebus profectis videre. Quum autem oculis videmus, imagines tantum percipere possumus, si oculos vertimus ad ea corpora, unde profectae sunt undique in omnes partes. Distantiam porro rerum cognoscere possumus, quia illae imagines, a corporibus profectae, aerem, qui est inter corpora et oculos nostros, protrudunt usque dum penetret per nostras acies: quo magis distant corpora, eo „longior aura" propulsa

---

1) D. L. X. 49, *οὐ γὰρ ἂν ἐναποσφραγίσαιτο τὰ ἔξω τὴν ἑαυτῶν φύσιν ..... οὐδὲ διὰ τῶν ἀκτίνων ἢ οἱωνδήποτε ῥευμάτων ἀφ' ἡμῶν πρὸς ἐκεῖνα παραγινομένων* .. Cf. Plut. plac. IV, 13, qui inuria Empedoclem inter eos numerat. Arist. de sensu et sensibili, cap. 2. Theophr. de Sensu 7.

2) Macrobius Sat. VII, 14, 5. Lucret. IV. 230.

3) D. L. X. 49.

tangit oculos. Haec omnia fiunt quam celerrime, neque videmus singulas imagines, sed corpus videmus non interrupta serie imaginum eodem modo, quo non particulam quamque venti sentimus, sed totum ventum, quoque tangentes superficiem lapidis, non eam summam partem solam per se sentimus, sed omnes atomorum strues, quae penitus in corpore sunt, quo fit ut de duritia eius iudicare possimus. Deinde explicat poeta, cur tam remota a nobis videatur imago in speculo. Fit enim „duplici geminoque aere" eodem modo atque alias res distare videmus. Imago speculi ab eo profecta propellit aerem inter speculum atque nos situm: hunc aerem primum sentimus et per eum de distantia speculi iudicare possumus, cuius imaginem percipimus: sed eodem puncto temporis, quo speculi imago ad nos pervenit, nostra imago in speculum cum venerit, ab eo reicietur et rursus aerem inter speculum atque nos propellet: quoniam autem eo pulsu aeris de distantia iudicamus, nobis illa imago videbitur duplici spatio distare. Quod dextra pars corporis in speculo fit laeva et laeva dextra, id hanc habet causam quod imagines rectae retrorsum sic eliduntur, „ut siquis, prius arida quam sit cretea persona, adlidat pilaeve trabive, atque ea continuo rectam si forte figuram servet et elisam retro sese exprimat ipsa" [1]). Plura specula certo modo posita omnes latebras domus nobis praebent et quasi aperiunt. Praeterea specula concava reiciunt imagines rectas, ita ut dextra pars respondeat dextrae, laeva laevae. Plura eiusmodi phaenomena, quae ad opticen pertinent, explicat poeta (vs. 299—378), quae tamen praeterimus, ne nimis longa fiat haec expositio. Quisque, ni fallimur, nobiscum mirabitur sagacitatem in hac parte doctrinae adhibitam et, si in magnis voluisse sat est, summa laude sunt digni Epicurei. Epicurei dicimus, nam etsi in Epicuri ipsius scriptis nihil invenimus, quod huc referendum sit, tamen affirmare possumus Lucretium haec non invenisse.

In scriptis enim Alexandri Aphrodisiensis, docti Aristotelis scriptorum interpretis, qui Septimio Severo filioque Caracalla

---

[1]) Vs. 295 seqq. Codd. vs. 322 *fronte*. Briegerum secutus sum. Cf. Philol. XXIX. pag. 441

florentibus, peripateticam philosophiam docuit, invenimus in libro secundo περὶ ψυχῆς paragraphum, cui titulus: πρὸς τοὺς διὰ τῆς τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως τὸ ὁρᾶν λέγοντας. Inter ea, quae Alexander contra Epicureorum doctrinam affert, haec legimus: ἔτι πῶς οἷόντε τοῦ διαστήματος ἀντίληψιν γίνεσθαι, εἰ τὰ εἴδωλά ἐστι τὰ ὁρώμενα· ἀνεπαίσθητος γὰρ ὃν λέγουσι προεμπίπτειν ὁ ἀήρ, οὗ τῇ ποσότητι τὸ διάστημα ἀναμετρεῖσθαι, et paullo post: τὸ δὲ λέγειν τῷ ποσῷ τοῦ ἀέρος τοῦ μεταξὺ τοῦ τε ὁρωμένου, ἀφ' οὗ τὰ εἴδωλα, καὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ τὴν ἀντίληψιν γίνεσθαι τοῦ διαστήματος, τοῦτον γὰρ ὑπὸ τοῦ εἰδώλου προωθούμενον προεμπίπτειν τῇ κόρῃ πρὸ τοῦ εἰδώλου, ἀτοπίαν οὐδεμίαν ὑπερβάλλει cett. . . . . προσέτι τὸ πολλάκις τοσοῦτον δέξεται, οὐ γὰρ ἑνὸς εἰδώλου ἐμπτώσει τὸ ὁρᾶν[1]). De imaginibus in speculo apparentibus Epicurum quoque locutum esse videmus e Plutarchi plac. phil. IV. 14, ubi simul docemur, eum hanc doctrinam fortasse a Democrito sumpsisse: Δημόκριτος, Ἐπίκουρος τὰς κατοπτρικὰς ἐμφάσεις γίγνεσθαι κατ' εἰδώλων ὑποστάσεις, ἅτινα φέρεσθαι μὲν ἀφ' ἡμῶν, συνίστασθαι δὲ ἐπὶ τοῦ κατόπτρου κατὰ τὴν ἀντιπεριστροφήν[2]).

Cum ita ostenderimus poetam omnia, quae ad visus sensum explicandum proferat a magistro sumpsisse, non operae pretium esse nobis videtur reliqua quae de reliquis sensibus explicandis narrat, uberius exponere, neque cum magistri doctrina conferre. Quae

---

1) De aeres, qui est inter res adspectas et oculum, Democritus ap. Theophr. περὶ αἰσθήσεως, 50: ὁρᾶν μὲν οὖν ποιεῖ τῇ ἐμφάσει· ταύτην δ' ἰδίως λέγει· τὴν γάρ ἔμφασιν οὐκ εὐθὺς ἐν τῇ κορῇ γίνεσθαι, ἀλλὰ τὸν ἀέρα τὸν μεταξὺ τῆς ὄψεως καὶ τοῦ ὁρωμένου τυποῦσθαι, συστελλόμενον ὑπὸ τοῦ ὁρωμένου καὶ τοῦ ὁρῶντος.

2) Hoc postremum vocabulum quodammodo est ambiguum, sed tamen satis inde apparet Epicurum simile quid atque Luçretium docuisse. Nihilo minus tamen apud Macrobium (Saturn. lib. VIl. cap. 14. 7.) hoc Epicuro obicitur: „cuius opinioni repugnat quod in speculis imago adversa contemplatorem suum respicit: cum debeat, siquidem a nobis orta recto meatu proficiscitur, posteram sui partem, cum discedit, ostendere, ut laeva laevam dextera dexteram respiciat. Nam et histrio personam sibi detractam ex ea parte videt qua induit, scilicet non faciem sed posteriorem cavernam."

Mirum quoque est Macrobium eadem uti imagine, qua Lucretius vs. 296 utitur, cum tamen satis appareat eum hanc partem Lucretiani carminis non accurate legisse, cum illud quam optime poeta explicet, quod Macrobrius Epicuro obicit.

sequuntur sufficiant. Inde a vs. 520 usque ad vs. 615 poeta interpretatur Epicuri doctrinam de auditu, quam legis D. L. X. 52 expositam: tum a vs. 615 usque ad 673 de gustu agit, quam partem in Epicuri epistola praeteritam invenimus, etsi Theophr., de sensu 63, D. L. IX. 80. Sext. Emp. hyp. II. 63, patet eum idem docuisse; denique vs. 673—721 odoris explicationem continent, quam D. L. X. 53 adumbratam invenies. Qui accuratius haec omnia inter se comparaverit, videbit poetam eundem sequi ordinem atque Epicurum. Post visus sensum tractatum de omnium scientiarum fundamento in sensuum auctoritate sito, sermo est, tum reliqui sensus explicantur.

Ex ea quae praecedit Epicuri de sensibus doctrina forsitan quis efficere velit nos in errores non posse incidere, quoniam omnes nostrae perceptiones nihil sint nisi motus, concursus, affectus materiae. Ne sic veritati repugnarent, Epicurei docebant nos errare posse, sed errores non sensibus sed animo soli tribuendos esse [1]. „Non possunt oculi naturam noscere rerum." Sensus afferunt rerum imagines, sed animus eas accipit, eas componit et cum praecedentibus rerum notionibus eas comparat. Itaque usuvenire potest, ut animus in hoc opere fallatur. Si turrim video e longinquo, eius imago antequam ad oculos meos penetret, multas subit mutationes, aere, quem imago transit, eam partim mutilante (vs. 353 seqq). Oculi tamen nihil aliud quam hanc mutilatam imaginem accipiunt et animo eam tradunt: sed animus eam comparare debet cum *προλήψει*: id est cum notione turris iam antea saepius eadem turri visa in eo orta, quo fit ut animus de veritate imaginum diiudicare possit, vel potius opinionem a perspicuitate seiungere (Cic. Acad. prior. II. cap. XIV. Cf. locum supra laud.). Epicurus enim distinxit opiniones (*δόξας*) et perspicuitatem (*ἐνάργειαν*): priores illae falsae

[1] Lucr. IV. 379 seqq. D. L. X. 147: Εἰ *τιν' ἐκβαλεῖς ἁπλῶς αἴσθησιν καὶ μὴ διαιρήσεις τὸ δοξαζόμενον κατὰ τὸ προσμένον καὶ τὸ παρὸν ἤδη κατὰ τὴν αἴσθησιν καὶ τὰ πάθη καὶ πᾶσαν φανταστικὴν ἐπιβολὴν τῆς διανοίας, συνταράξεις καὶ τὰς λοιπὰς αἰσθήσεις τῇ ματαίᾳ δόξῃ, ὥστε τὸ κριτήριον ἅπαν ἐκβαλεῖς.* Sext. Emp. adv. Math. VIII, 203—216.

sunt aut rectae [1]), quod *προλήψεσι* diiudicari debet. Si falsae sunt hoc inde oritur, quod *τὸ ψεῦδος καὶ τὸ διημαρτημένον ἐν τῷ προσδοξαζομένῳ ἀεί ἐστι κατὰ τὴν κίνησιν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς, συνημμένην τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ.* Altera vero, perspicuitas sive *ἐνάργεια,* quoniam a sensibus solis pendet, nunquam potest falsa esse: *τήν τε αἴσθησιν ἀναληπτικὴν οὖσαν τῶν ὑποπιπτόντων αὐτῇ, καὶ μήτε ἀφαιροῦσάν τι μήτε προστιθεῖσαν μήτε μετατιθεῖσαν τῷ ἄλογον εἶναι, διὰ παντός τε ἀληθεύειν, καὶ οὕτω τὸ ὂν λαμβάνειν ὡς εἶχε φύσεως αὐτὸ ἐκεῖνο,* (Sext. Emp. adv. Math. VIII. 9) aiebat Epicurus.

Quoniam ergo omnes sensus veri sunt, potest aliquid cognosci et percipi, neque scepticis philosophis concedendum est hominem nil scire posse. Haec fluctuans et incerta ratio iis placere non poterat, qui summam stabilitatem et firmitatem quaerebant, ut quiete illa fruerentur, quae sola animum pacare posset. Pugnam ergo adversus scepticos susceperunt Epicurei. Si quis putat se nihil scire, quomodo id scire potest? Qui distinguere possum inter illud quod est scire atque nescire? Omnis ratio pendet a sensibus [2]), qui si fallunt, ratio quoque est falsa. Neque uni cuidam sensui plus fidei habendum est quam reliquis, omnes aeque sunt veri, neque eidem sensui uno tempore plus fidei habendum est quam alio. Omnis ratio, ipsa quoque vita concidit, si sensibus non amplius fides est habenda. Si fundamenta aedificii sunt prava atque debilia, tota domus ruinam trahet: sic tota ratio falsa erit si sensus quibus nititur, e quibus orta est, sunt falsi.

---

[1]) D. L. 34: *τὴν δὲ δόξαν καὶ ὑπόληψιν λέγουσιν, ἀληθῆ τέ φασι καὶ ψευδῆ τυγχάνειν. ἂν μὲν γὰρ ἐπιμαρτυρῆται ἢ μὴ ἀντιμαρτυρῆται, ἀληθῆ εἶναι· ἐὰν δὲ μὴ ἐπιμαρτυρῆται ἢ ἀντιμαρτυρῆται, ψευδῆ τυγχάνειν.*

[2]) Cicero *προλήψεις* illas nominat anteceptas animo rei quasdam informationes, sive anticipationes vel etiam praenotiones: de Nat. deor. I cap. 16 et 17: per *ante* vel *prae* in hisce verbis compositis tamen expressit minime rectam sententiam. E capite 17 enim apparet eum opinari has *προλήψεις* *insitas* vel potius *innatas* esse. At quod Lucretius supra in textu dicit ab Epicuro confirmatur dicente: D. L. X. 23: *πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται*: ergo innatae esse non possunt eae notiones. Quid sint *προλήψεις* ipse Epicurus dixit D. L. X. 33: *τὴν δὲ πρόληψιν λέγουσιν οἱονεὶ κατάληψιν ἢ δόξαν ὀρθὴν ἢ ἔννοιαν ἢ καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, τουτέστι μνήμην τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος* . . . Cf. quae sequuntur.

Haec ad litteram fere ex Epicuro transscripta esse e Cic. de Fin. I. 19, 64 apparet: „quos (sensus) qui tollunt et nihil percipi posse dicunt, ii remotis sensibus ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea sublata cognitione et scientia tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum"; atque ex ipso Epicuro [1]): *πᾶσα γάρ, φησίν, αἴσθησις ἄλογός ἐστι καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική· οὔτε γὰρ ὑφ' αὑτῆς οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κινηθεῖσα δύναταί τι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν, οὐδ' ἔστι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι· οὔτε γὰρ ἡ ὁμοιογενὴς τὴν ὁμοιογενῆ διὰ τὴν ἰσοσθένειαν· οὔθ' ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ, οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν εἰσὶ κριτικαί· οὔθ' ἡ ἑτέρα τὴν ἑτέραν, πάσαις γὰρ προσέχομεν· οὔτε μὴν λόγος, πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται.* Homo igitur criteriis quibusdam distinguere potest veras a falsis opinionibus. Haec autem tria sunt: perceptiones, praenotiones, affectus [2]). Diogenes Laertius dicit Epicureos, non vero ipsum magistrum, ad haec tria criteria addidisse quartum *τὰς φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας*, sed tamen fallitur, nam ipse Epicurus hoc quartum nominat D. L. X. 147 et 51, quare fortasse uncis includenda sunt illa verba. Sed difficile est dictu, quid sit illa *φανταστικὴ ἡ ἐπιβολή*, quae inter criteria nominatur, nam cap. 50 legimus *καὶ ἣν ἂν λάβωμεν φαντασίαν ἐπιβλητικῶς τῇ διανοίᾳ ἢ τοῖς αἰσθητηρίοις εἴτε μορφῆς εἴτε συμβεβηκότων, μορφή ἐστιν αὕτη τοῦ στερεμνίου, γινομένη κατὰ τὸ ἑξῆς πύκνωμα ἢ ἐγκατάλειμμα τοῦ εἰδώλου, κ. τ. ε.* Ex hisce verbis videntur affines esse simulacris sive imaginibus. Eo ab his discrepant quod partim animo (*τῇ διανοίᾳ*) partim vero sensibus accipiuntur, cum simulacra hoc altero solo modo ad nos perveniant. Praeterea cum simulacra *rerum* tantum sint imagines, hae etiam *τῶν συμβεβηκότων* formae nominantur. Quod porro *ἐπιβολήν formam*

---

1) D. L. X. 31.

2) l. l. *ἐν τοίνυν τῷ Κανόνι λέγων ἐστὶν ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη, οἱ δ' Ἐπικούρειοι καὶ τὰς φανταστικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας.* 34 *πάθη δὲ λέγουσιν εἶναι δύο, ἡδονὴν καὶ ἀλγηδόνα, ἱστάμενα περὶ πᾶν ζῷον.*

dicit, inde explico quod, Epicurus vix rem definitam sibi proponere potuit; inde illa fluctuatio in nomine. Quoniam etiam ab ipso animo formari possunt, *εἴδωλα* eas accurate appellare non potuit: melius tamen fuisset et distinctius, quoniam tale quid sibi proponere debuit, quam illud *μορφή*, praesertim cum dicat eas *μορφὰς* esse *τῶν μορφῶν*, quae quodammodo ex *εἰδώλοις* fiant. Denique cum ab animo partim conformentur et animus igitur secundum Epicurum sui quid addere possit, (*κατὰ τὴν κίνησιν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς, συνημμένην τῇ φανταστικῇ ἐπιβολῇ, διάλειψιν δὲ ἔχουσαν*) harum imaginum aliae sunt verae, aliae falsae: verae sunt quaedam, quoniam ut aliae imagines extrinsecus ad sensus feruntur eosque afficiunt, aut etiam in ipso animo ab homine formantur e copulatione aliarum imaginum: falsae autem aliae, quoniam non est *ὑποκείμενον*, quod iis respondeat. Lucretium in hac parte parum esse accuratum minime miramur cum ipse magister obscurus esset. Putat haec simulacra, aliud vocabulum poeta non usurpat, cum ad tenuem animi naturam penetrent eamque cieant, (tamquam alia simulacra idem non facerent) multo esse tenuiora, quam quae oculos lacessunt, quamquam haec apud Epicurum (D. L. X. 47) iam *ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κεχρῆσθαι* dicuntur. Animum ea conformari posse Lucretius hic non confirmat. Sed II vs. 740 de animi iniectu locutus est, de ea animi facultate, qua res sibi proponere et fingere potest, quae sensibus non percipiuntur, ut atomos, exempli gratia. Ille animi iniectus idem esse debet, quod Epicurus *φανταστικὴν ἐπιβολήν* vocat. In ea parte libri IV, quam nunc exponimus, poeta hanc rem uberius describere debuisse nobis videtur, cum hic earum rerum tractandarum opportunitas offerretur. Dicit tantummodo, imagines partim sponte sua aere in ipso fieri [1], partim a corporibus profluere [2], partim ex utroque genere esse commixtas [3]. Primi generis, exem-

---

[1]) Vs. 736. D. L. X. 48: *καὶ συστάσεις ἐν τῷ περιέχοντι ὀξεῖαι.*

[2]) Vs. 737. D. L. l. l: *ῥεῦσις ἀπὸ τῶν σωμάτων τοῦ ἐπιπολῆς συνεχὴς συμβαίνει.*

[3]) Vs. 738. D. L. l. l. *εἰ καὶ ἐνίοτε συγχεομένη ὑπάρχει.*

pli gratia, sunt eorum simulacra, „quorum morte obita tellus amplectitur ossa"; tertii Centaurorum et Scyllarum imagines: hae postremae factae sunt e partibus plurium imaginum, quae propter suam tenuitatem facile inter se iunguntur. Sed „nulla fuit quoniam talis natura animalis" criterio nobis opus est, ut in iis quoque veritatem ab inani et falso secernamus. Lucretius hoc criterium in sensibus et τῷ „meminisse" (μνήμῃ) posuit: „hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes corporis offecti sensus per membra quiescunt nec possunt falsum veris convincere rebus, praeterea meminisse iacet languetque sopore"[1]. Sensus procul dubio hic significare debet facultatem sentiendi et discernendi, ergo animum sive rationem. Cum Epicurus doceat „ἐὰν μὲν μὴ ἐπιμαρτυρηθῇ ἢ ἀντιμαρτυρηθῇ, τὸ ψεῦδος γίνεται· ἐὰν δ' ἐπιμαρτυρηθῇ ἢ μὴ ἀντιμαρτυρηθῇ, τὸ ἀληθές, statuendum videtur in eiusmodi simulacris quoque πρόληψιν quandam nobis criterium esse veritatis aut fallaciae. Cum praenotionem centauri exempli gratia in animo non habeam, concludo etiam si eiusmodi animalis imaginem video, tamen ipsum animal non exstare. Perspicuitas sive ἐνάργεια hisce simulacris deest. Quaeri tamen potest num crebro et repetito visu centauri imaginis, eius animalis πρόληψις in animo oriri non possit, eodem modo atque aliae praenotiones oriantur. Epicurei tantum respondent eiusmodi simulacra semper διάληψιν ἔχουσι καθ' ἣν τὸ ψεῦδος γίνεται[2]: usus vitae et consuetudo ergo sola de veritate et fallacia diiudicare possunt neque error plane potest excludi. Omnibus denique perpensis perspicuum est quomodo dubitari potuerit, num hoc quartum criterium re vera eo nomine appellandum esset: perspicuitatem reliquorum criteriorum non solum non habet, verum etiam alio criterio opus esse videtur, quo veritatem et fallaciam earum ἐπιβολῶν φανταστικῶν diiudicare possimus. Epicurus in fragmentis nobis relictis pauca de iis dixit, quo factum est, ut multa nobis sint obscura; hoc tamen satis patet e locis supra laudatis, eum ipsum ut quartum

---

[1]) Vs. 762 seqq.

[2]) D. L. X. 50.

hoc criterium posuisse, quamquam non constat eum in omnibus suis scriptis semper sibi constitisse.

Ipse poeta sensit multas inesse difficultates in hac doctrina. Docuit sane eas imagines, quae in mentem penetrant multo tenuiores esse quam illas, quae sensus afficiunt [1]), et probavit animum aeque atque sensus simulacris moveri, quoniam „quatenus hoc simile est illi, quod mente videmus atque oculis, simili ratione fieri necesse est" [2]), sed tamen „multa(que) in his rebus quaeruntur, multaque nobis clarandumst, plane si res exponere avemus" [3]). Quomodo fit ut homo cogitare possit, quibuscumque de rebus velit? Ut alii eodem loco eodemque tempore alias habeant cogitationes? Ut imagines in numerum procedere cernamus in somnis et mollia membra movere?

„Scilicet, arte madent simulacra et docta vagantur, nocturno facere ut possint in tempore ludos. An magis illud erit verum? quia tempore in uno quod sentimus, id est cum vox emittitur una, tempora multa latent, ratio quae comperit esse, propterea fit uti quovis in tempore quaeque praesto sint simulacra locis in quisque parata" [4]).

Deinde animus se intendere debet ut videat imagines, nam quoniam tenues sunt praeteribunt nec videbuntur nisi animum advertas quod idem „in rebus apertis" fit nec tum miramur [5]). Has difficultates attigit poeta tantum neque omnes solvit. Ut imaginum in numerum motus explicaret iam antea vs. 775 monuit in uno sensibili tempore plura inesse tempora, quae ratione tantum cognoscantur. Idem opinatur fortasse de imaginibus dici posse. In quovis sensibili tempore unam dis-

---

[1]) Vs. 728, 29.

[2]) Vs. 750 Simile est argumentum atque vs. 230.

[3]) Vs. 777.

[4]) 792—801. Lachm. vs. 896 ante 783 ponit, ubi *consentimus* non minus impeditam constructionem reddit. „Tempore in uno (vel: *illo*) quod sentimus" circumscriptio est Epicurei ἐν αἰσθητῷ χρόνῳ. D. L. X. 47, et opponitur „temporibus ratio quae comperit esse" = διὰ λόγου θεωρητοῖς χρόνοις.

[5]) Merito Lachmannus hos versus 777—817 uncis inclusit tamquam postea a poeta additos. Cf. Brieger Philol. XXXIII, 439.

tinctam tantum imaginem cognoscere vel percipere possum. At cum hanc unam imaginem video, possunt plures in ea inesse, quas singulas animadvertere non possum, ob eandem causam, qua τοὺς διὰ λόγου θεωρητοὺς χρόνους singulos non possum percipere. Ergo si in somno simulacrum quoddam in numerum se movere video, id revera non est unum simulacrum sed sunt plura, quae sibi vicissim succedunt, quae tamen singula non possum percipere: horum celeri motu fit ut unum simulacrum gestus mutare videatur. — Omnino apparet Lucretium hanc operis partem non perfecisse: de anticipationibus et de animi iniectibus sive ἐπιβολαῖς ei dicendum erat [1]). Nam προλήψεσι illis ex Epicuri mente explicari potest „quare quod cuique libido venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum". E vs. 731 seqq. apparet Lucretium censere ad hoc efficiendum simulacris extrinsecus illatis opus esse, cum tamen Epicurus doceat in animo nostro multas inesse καταλήψεις sive comprehensiones earum, quas antea sensibus perceperimus, rerum, quae meminisse volenti facile se sistant [2]). Hanc ob rem προλήψεις nominavit καθολικὴν νόησιν ἐναποκειμένην, per quam omnes perceptiones comparare possumus. Quod cum ita sit, etiam explicari potest cur nusquam aliud cogitare possimus quam id, quod antea viderimus, cuius anticipationem ergo habeamus, aut ea, quae e coniunctione plurium anticipationum formata sint. Re vera tum rursus quaeri potest, cur alia cogitatio potius oriatur quam alia: sed haec quaestio, etsi per doctrinam consociationis idearum, quae dicitur, partim solvitur, tamen omnino adhuc insolubilis est. Illa autem animi contentio, qua ad aliam praenotionem potius se dirigit quam ad aliam, ab Epicuro ἐπιβολὴ τῆς διανοίας sive animi intuitus vel iniectus vocatur [2]) cum interdum ipsae cogitationes, quas animus concipit, eodem nomine significentur. Quarum in numero quoque

---

[1]) V. 182 „*notities hominum* dis unde est insita primum," fortasse *notities* hic usurpata est pro προλήψεσι.

[2]) Modus quo utimur anticipationibus cognosci potest ex hoc loco D. L. X. 33, ubi postquam quid sint anticipationes sic pergit: *ἅμα γὰρ τῷ ῥηθῆναι ἄνθρωπος εὐθὺς κατὰ πρόληψιν καὶ ὁ τύπος αὐτοῦ νοεῖται προηγουμένων τῶν αἰσθήσεων.*

sunt φανταστικαὶ ἐπιβολαὶ τῆς διανοίας, quales sunt Centauri Cerberique imagines insanorumque imaginationes, quas libero quodam motu animus sibi fingit, insitas coniungens imagines [1]). Etiam extrinsecus in animum inferri possunt, postquam e coniunctione simulacrorum sunt factae, ut supra diximus.

Omnia reputantibus nobis videtur poeta non in mente habuisse uberius canonicam doctrinam exponere, quam ad physicam doctrinam exponendam necesse esset: quod dum facit, multas difficultates remanere vidit, quae libro demum rursus perlecto paucis verbis indicavit, ut postea suo loco eas solveret. E multis porro indiciis manifestum est, poetae opus suum perlegenti multa in mentem venisse, quae arte cum tota doctrina cohaererent atque etiam ad deorum metum ex animis expellendum utilia essent, quae tamen praeteriisset. Haec deinde addidit neque in totum opus ita intexuit, ut quasi cum eo coalescerent. Huiusmodi sunt vs. 822—876 [2]).

Ex iis, quae praecedunt, cuique patebit ex Epicuri doctrina causas finales quae dicuntur in universo non esse: omnia quae sunt casu quodam et fortuito facta sunt. Nihil autem est in quo prius finem quendam expetitum esse credere possimus quam in sensibus et membris nostris, quare Stoici diebant: „nihil horum esse fortuitum et haec omnia esse opera providae sollertisque naturae" [3]), et „hominum causa factum esse mundum quaeque in eo sint omnia" [4]). Contra Epicurus [5]) eumque sequens Lucretius ostenderunt procul esse „ut credere possis (sensus et membra) utilitatis ob officium potuisse creari". Principium eorum doctri-

---

[1]) D. L. X. 62 τὸ θεωρούμενον τῷ κατ' ἐπιβολὴν λαμβανομένῳ τῇ διανοίᾳ opponitur: utrumque semper est verum, quoniam vel ad simulacra vel ad anticipationes referendum est.

[2]) Cf. Lachm. Praeterea lacuna est post vs. 821 cf. D. L. X. 51. Steinhardt, in Ersch. et Grub. sub voce *Epicurus*. Susemihl, Philol XXXIII, pag. 443 versus sic ordinat: 907—1036, 858—906, 822—857.

[3]) Cic. de Nat. Deor. II. 128.

[4]) Cic. l. l. 133.

[5]) D. L. X. 75, 76. Lucretium eum ad litteram secutum esse videre licet e Lactantii de Opif. cap. 6. „Quid ais Epicure? Si non sunt ad videndum oculi nati, cur igitur vident? Postea, inquit, usus eorum apparuit".

nae postea videbimus a plerisque antiquis philosophis alienum esse, sed cum maxime cum eruditissimi huius aetatis viri doctrina congruere.

Quoniam haec pars postea a poeta est inserta, ea, quae nunc sequuntur, coniungenda sunt cum vs. 821 et qui praecedunt. Explicaturus est poeta „qui fiat uti passus proferre queamus, cum volumus, varieque datum sit membra movere, et quae res tantum hoc oneris protrudere nostri corporis insuerit . . . . . Dico animo nostro primum simulacra meandi accidere atque animum pulsare, ut diximus ante. Inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam rem quisquam, quam mens providit, quid velit ante. Id quod providet, illius rei constat imago. Ergo animus cum sese ita commovet ut velit ire inque gredi, ferit extemplo quae in corpore toto, per membra atque artus, animai dissita vis est: et facilest factu, quoniam coniuncta tenetur. Inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota paulatim moles protruditur atque movetur" [1]). Ni fallimur Lucretius hic sibi non constat. Nam in libro secundo, ut vidimus, dixit hominem habere liberam voluntatem; addidit vero de motibus: „ut videas initum motus a corde creari, ex animique voluntate id procedere primum: inde dari porro per totum corpus et artus". Hic tamen docet voluntatem suam habere causam: cum autem suam habeat causam non est libera e vulgari quidem significatione vocis. Assentiri potius videtur Stoicis, dicentibus [2]) primum motum voluntarium non esse, et Democrito, censenti [3]) simulacra seu species rerum incurrentium in animum, causas esse, quae animi motus, consilia, mores affectionesque traherent necessario. Ὑποθέμενος τοῦτο δὴ τοὐπιδήμιον, ὅ φησι Δημόκριτος, ἐγκαταβυσσοῦσθαι τὰ εἴδωλα διὰ τῶν πόρων εἰς τὰ σώματα, καὶ ποιεῖν τὰς κατὰ τὸν ὕπνον ὄψεις ἐπαναφερόμενα· φοιτᾶν δὲ ταῦτα πανταχόθεν ἀπιόντα καὶ σκευῶν καὶ ἱματίων καὶ φυτῶν, μάλιστα δὲ ζῴων ὑπὸ σάλου πολλοῦ καὶ θερμότητος, οὐ μόνον ἔχοντα μορφοειδεῖς τοῦ σώματος ἐκμεμαγμένας ὁμοιότητας (ὡς Ἐπίκουρος οἴεται, μέχρι

[1]) 877—91.

[2]) Seneca, de Ira 2, 3.

[3]) Plut. Symp. VIII, 10.

τούτου Δημοκρίτῳ συνεπόμενος, ἐνταῦθα δὲ προλιπὼν τὸν λόγον), ἀλλὰ καὶ τῶν κατὰ ψυχὴν κινημάτων καὶ βουλευμάτων ἑκάστῳ καὶ ἠθῶν καὶ παθῶν ἐμφάσεις ἀναλαμβάνοντα συνεφέλκεσθαι καὶ προσπίπτοντα μετὰ τούτων ὥσπερ ἔμψυχα, φράζειν καὶ διαστέλλειν τοῖς ὑποδεχομένοις τὰς τῶν μεθιέντων αὐτὰ δόξας καὶ διαλογισμοὺς καὶ ὁρμὰς, ὅταν ἐνάρθρους καὶ ἀσυγχύτους φυλάττοντα προσμίξῃ τὰς εἰκόνας.

Ex eorum mente, qui atomos et vacuum sola dicunt revera esse, nihil sane constantius dici potest, cum de libera voluntate in eiusmodi doctrina ne sermo quidem esse possit. Cum animus sit materia eius motus sunt motus materiae et ad motus atomorum referendi, si causam quaerimus. Hanc seriem Democritus Epicurus Lucretius statuunt esse: atomorum motus est causa motus imaginum, imagines se moventes pulsant animum, animus corpus propellit ope animae. Lucretius igitur sibi non constare videtur. Quae libro secundo (vs. 277 seqq.) dicit: „iamne vides igitur, quamquam vis extima multos pellit, et invitos cogat procedere saepe praecipitesque rapi, tamen esse in pectore nostro quiddam, quod contra pugnare obstareque possit? cuius ad arbitrium quoque copia materiai cogitur interdum flecti per membra, per artus, et proiecta refrenatur, retroque residit" — rem nihilo clariorem reddunt. Ex una parte liberam voluntatem defendere vult, ex altera tamen eam non liberam esse fateri cogitur; nam si ambulare volo, simulacra meandi primum accidere debent: ergo si „contra pugnare, obstareque" volo vi extimae, quae me propellit, primum simulacra resistendi in animum meum penetrare debent, quae voluntatem obstandi excitent.

E loco supra laudato apparet Epicurum non plane cum Democrito consentire, cum non omnes animi motus eodem modo atque sensuum perceptiones explicare voluerit. Democritus sibi constat: libera voluntas non est, omnia necessitate fiunt, nam οὐσίαν ἀνάγκης dixit τὴν ἀντιτυπίαν. καὶ τὴν φορὰν και τὴν πληγὴν τῆς ὕλης [1]. Epicurus tamen congruenter cum totius eius philo-

---

[1]) Plut. plac. I, 26.

sophiae fundamento, quae e singuli hominis mente proficiscitur, singuli hominis libertatem servare conatur. Uberius quam Lucretius et pro gravitate quaestionis aptius rem exposuisse videtur in libris περὶ φύσεως, quorum fragmenta huc spectantia aetatem tulerunt [1]). E Diogene Laertio iam apparuit eum magis quam deos fatum odisse: κρεῖττον ἦν τῷ περὶ θεῶν μύθῳ κατακολουθεῖν ἢ τῇ τῶν φυσικῶν εἱμαρμένῃ δουλεύειν· ὁ μὲν γὰρ ἐλπίδα παραιτήσεως ὑπογράφει θεῶν διὰ τιμῆς, ἡ δ' ἀπαραίτητον ἔχει τὴν ἀνάγκην [2]). Etiam Democritum oppugnasse videtur cum (τὰ) ἐκ το(ῦ π)εριέχον(τ)ος κ(α)τ' ἀν(άγκη)ν διὰ τοὺς πό(ρους) εἰσρ(έοντ)α παρ' ἡμᾶς (τό)τε γε(ίνε)σθαι καὶ παρὰ τ(ὰς) ἡμε(τέρα)ς (καὶ) ἡμ(ῶ)ν αὐ(τῶν) δόξ(ας) ... (π)αρὰ τὴν φ(ύ)σι(ν) [3]) plane probare non potuerit. Nisi animus ipse sui quid addat ad extrinsecus illatas imagines, non intellegit quî cogitationes in nobis inter se pugnare possint, qui aliam potius quam aliam sequamur cett. — οὐ(δὲ ἀπ)ολείπει τὰ πάθη τοῦ γίνε(σθαι) νουθε(τ)εῖν τε ἀλλήλους καὶ (μ)άχ(εσ)θαι καὶ μεταρυθμίζειν ὡς ἔχοντας καὶ ἐν ἑα(υ)τοῖς τὴν αἰ(τ)ίαν καὶ οὐχὶ ἐν τῇ ἐξ ἀρχῆς μόνον συστάσει καὶ ἐν τῇ τοῦ περιέχοντος καὶ ἐπεισιόντος κατὰ τὸ αὐτόματον ἀνάγκη(ι). εἰ γάρ τις καὶ τῷ νουθετεῖν καὶ τῷ νουθετεῖσθαι τὴν κατὰ τὸ αὐ(τὸ)μα(τ)ον ἀνάγκην πρ(οσ)ν(έμοι)... [4]). — Natura eius, quod ipsi addimus, est investiganda: ζητήσει δ' ἡ διάνοια εὑρεῖν τὸ ποῖ(ον ο)ὖν τι δεῖ νομί(ζε)ιν τὸ ἐξ (ἡμ)ῶν αὐτῶ(ν) (πρ)αττόμενον ἢ προθυ(μούμενον πράττ)ειν [5]). Quid autem de natura eius, quod ad impulsus exteros ipsi addimus, iudicarit Epicurus, cognosci non amplius potest. Etiam difficile est intellectu quod vinculum posuerit inter primam atomorum declinationem et voluntatem nostram, cum hanc ab exteris atomis liberam esse statuere debuerit.

Rursus vidimus Lucretium in omnibus hisce doctrinis iurare in

---

[1]) Th. Gomperz, Neue Bruchst. Epikur's. Wien. 1876.

[2]) D. L. X, 134.

[3]) Gomperz, pag. 10. Pap. 1056, 20 et Pap. 697, D, k.

[4]) Gomperz, l. l. Pap. 1066, 21 et Pap. 697, D, l.

[5]) Gomperz, l. l. Pap. 1056, 23 et Pap. 697, D, n.

verba magistri, etsi, cum graves res interdum omiserit, cum magistro non semper consentire videtur. Suam viam nunquam iniit, nisi quatenus poetarum modo doctrinam exposuit. Hoc idem e fine huius libri sequi videtur. Primum de somno agit, deinde de semine et aliis rebus ad venerem pertinentibus. Ex D. L. X. 66 autem videmus Epicurum eundem ordinem secutum esse. Explicatio somni eadem est atque apud poetam. Praeterea Diogenes de rebus venereis haec tantum refert: *τό τε σπέρμα ἀφ' ὅλων τῶν σωμάτων φέρεσθαι*, quibuscum conferas IV. 1041 seqq. Aliunde tamen est perspicuum hanc Lucretii doctrinam ex Epicuri, qui Democriti vestigia presserit, scriptis sumptam esse. Cf. enim IV. 1229: „semper enim partus duplici de semine constat" cum Plut. plac. V. cap. 5: „*Πυθαγόρας, Ἐπίκουρος, Δημόκριτος καὶ το θῆλυ προΐεσθαι σπέρμα.*" Vs. 1230: „atque utri similest magis id quod cumque creatur, eius habet plus parte aequa, quod cernere possis, sive virum suboles sivest muliebris origo." Plut. plac. V. 7: „*Δημόκριτος τὰ μὲν κοινὰ μέρη ἐξ ὁποτέρου ἂν τύχῃ, τὰ δ' ἰδιάζοντα καὶ κατ' ἐπικράτειαν*". Huius capitis inscriptio est haec: „*πῶς ἄῤῥενα γίνεται, καὶ θήλεα*". Vs. 1278: „Nec divinitus inter dum Venerisque sagittis deteriore fit ut forma muliercula ametur". D. L. X. 118: „*οὐδὲ θεόπεμπτον εἶναι τὸν ἔρωτα, ὡς Διογένης ἐν τῷ δωδεκάτῳ φησίν*" [1]). Ceterum poetae sunt haec, qui cum ardore quodam philosophi doctrinam, in eiusmodi rebus quoque, quale est hoc, nihil esse praeter vacuum atomos earumque motus, defendat, defendat tamen ita, ut pulcritudine orationis legentis fastidium superet. Num etiam poetae, qui ipse amatorio poculo in furorem versus, per intervalla insaniae aliquot libros conscripserit? Difficile erit ex hisce versibus eruere nonnullos, qui id confirmare possint, nam de suis rebus nihil immiscuit poeta: sunt potius sapientis viri, qui homines monet ne amoris illecebris capiantur, aut etiam capti cum sunt, ut effugiant [2]);

---

[1]) Hic Diogenes est discipulus Epicuri qui scripta nonnulla magistri edidit vel excerpsit: superius: *ὡς Διογένης ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Ἐπικούρου ἠθικῶν δογμάτων.*

[2]) Vs. 1144 seqq.

sunt physiologi, cui hominis amores bestiarum lubidini sunt pares [1]; sunt Cynici, qui amorem repudians, corporis voluntatem solam sibi quaerit [2].

---

[1]) Vs. 1197.

[2]) Vs. 1073. Si verum scripsit Stobaeus Floril. 282: *'Επίκουρος ἐρωτηθεὶς πότε δεῖ προσομιλεῖν γυναικί, ἔφη, ὅταν σαυτὸν ἀσθενέστερον θέλῃς γενέσθαι*, hac in re poeta cum Epicuro non consentiret: dubitamus tamen num tam abstinens fuerit Graecus. Ceterum ex Epicuri doctrina sequitur amorem repudiandum esse ut animi tranquillitatem servemus.

CAPUT QUINTUM.

DE METEORIS.

(Lucr. lib. V.)

Ipse poeta huius libri argumentum indicat: „nunc huc rationis detulit ordo, ut mihi mortali consistere corpore mundum nativomque simul ratio reddunda sit esse (vs. 235—415); et quibus ille modis congressus materiai fundarit terram, caelum, mare sidera, solem, lunaique globum (415—772); tum quae tellure animantes extiterint, et quae nullo sint tempore natae (772—1001); quove modo genus humanum variante loquella coeperit inter se vesci per nomina rerum (1001—1090); et quibus ille modis divom metus insinuarit pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur fana lacus lucos aras simulacraque divom (1161—1241). Praeterea solis cursus lunaeque meatus expediam qua vi flectat natura gubernans": hanc partem tamen supra tractavit poeta vs. 509 sqq. Et ne omnia quidem enumerat quae tractaturus est: post vs. 1241 enim narrat, quomodo homines rudes exculti sint, et omnia, quae ad vitae usum et mores excolendos utilia essent, invenerint: item inde a vs. 1090 usque ad 1161 agit de rebus, quae ad vitam exornandam pertinent neque huc referendae sunt. Omnino apparet e toto libro poetam opus suum non elaborasse, quod ex aliis quoque patere iam vidimus. Cur Epicurus de meteoris scripserit, ipse dixit D. L. X. 142: *εἰ μηδὲν ἡμᾶς αἱ περὶ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν, οὐκ ἂν προςεδεόμεθα φυσιολογίας.* Lucretius eandem ob causam se haec scripsisse fatetur: „ne forte haec inter caelum terramque reamur libera sponte sua cursus lustrare perennis, morigera ad fruges augendas atque animantis, neve aliqua divom volvi ratione pu-

temus. Nam bene qui didicere deos securum agere aevom, si tamen interea mirantur qua ratione quaeque geri possint, praesertim rebus in illis, quae supera caput aetheriis cernuntur in oris, rursus in antiquas referuntur religiones, et dominos acres adsciscunt, omnia posse quos miseri credunt, ignari quid queat esse, quid nequeat, finita potestas denique cuique qua nam sit ratione atque alte terminus haerens" [1]).

Antequam tamen ad enumerata argumenta exponenda transeamus, dicendum est de vs. 110—235, qui postea a Lucretio adscripti sint necesse est. In hac parte enim refellit doctrinam adversariorum: vulgo eiusmodi refutationes post expositam suam doctrinam collocat; nostro loco, si codicibus fides est, praemisit; sed luce est clarius hos versus hic non suum locum habere: post librum scriptum a poeta fortasse seorsum in quibusdam foliis sunt scripti, quae suo loco insererentur. Argumentum est hoc: „sanctius et multo certa ratione magis quam Pythia, quae tripode a Phoebi lauroque profatur" [2]) ostendet poeta hunc mundum eiusque partes neque esse immortalia neque divina: contra eiusmodi sunt, ut „notitiam possint praebere, quid sit vitali motu sensuque remotum" [3]). Animum non habet mundus [4]), „quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse posse animi natura putetur consiliumque": suum quaeque res habet locum ubi crescit et vivit. Mundus cum animalem formam non habeat anima et vita est privatus neque divinus [5]). „Illud item non est ut possis credere, sedes esse deum sanctas in mundi partibus ullis", quippe quae non cum deorum natura conveniant [6]). „Dicere porro hominum causa voluisse (deos) parare praeclaram mundi naturam,

---

[1]) V. 78—90.

[2]) Vs. 111.

[3]) Vs. 125.

[4]) Eismodi quid deesse mihi videtur in hoc argumento: nexus vs. 126 cum praecedentibus non satis est perspicuus.

[5]) Vs. 110—145.

[6]) Vs. 155 dicit poeta se posterius „largo sermone" uberius de hoc argumento expositurum esse, quod tamen promissum nusquam servavit. Cum ex hoc tum ex praecedente nota conicere licet, poetam in hac parte operis elaboranda impeditum esse.

propter eaque adlaudabile opus divom laudare decere aeternumque putare atque immortale futurum, nec fas esse, deum quod sit ratione vetusta gentibus humanis fundatum perpetuo aevo, sollicitare suis ulla vi ex sedibus umquam, nec verbis vexare et ab imo evertere summa, cetera de genere hoc adfingere et addere, Memmi, desiperest". Quid enim deos movisset ut mundum hominesque crearent? Quidve mali nobis fuisset, si non creati essemus? [1]) Unde dii petiverunt imaginem hominum sive πρόληψιν, quam secuti eos crearent? Natura ipsa principiorum fortuito congressu quodam fecit mundum omnesque in eo res [2]). Etiamsi doctrinam de atomis non nossem, tamen „tanto stat praedita culpa rerum natura" [3]), ut „ex ipsis caeli rationibus ausim confirmare aliisque ex rebus reddere multis, nequaquam nobis divinitus esse paratam". Vide quam parvam terrae partem homines excolere possint, etiam strenuissimis laboribus adhibitis: et saepe omnia, quae elaboravimus quam subito intereant: praeterea animadverte omnes dolores omniaque pericula, quae homines vexant, „mortem immaturam", quae saepe iuvenes corripit, infans quam miser sit, qui „vagitu locum lugubri complet, ut aecumst cui tantum in vita restet transire malorum", cum pecudum catuli fortiores felicioresque sint [4]), haec omnia si reputaveris non amplius dices, opinor, deos hunc mundum creasse. — Summa immanique tristitia correptus hos versus poeta scripsit, qui omnino tum est eloquentissimus, cum de tristi hominum sorte et de religionis timore expellendo canit. Sed quos adversarios ante oculos poeta habuit cum haec scripsit? Ad hanc quaestionem solvendam primum animadvertamus omnes has refutationes ad unius philosophi doctrinam pertinere, censentis e perfecta mundi forma et „caeli rationibus" sequi deos universum hominum causa creasse, ipsum deorum sedes continere, quin etiam divino animo mundum esse praeditum, atque hanc ob rem in aeternum man-

[1]) Vs. 156—165.

[2]) Vs. 166—195.

[3]) Vs. 199 seqq.

[4]) Vs. 195—235.

surum. Munrous autem putat Lucretium Stoicos hic refellere, et multa argumenta affert ad hanc opinionem defendendam [1]). Attamen ei assentiri non possumus, quamvis lubenter id faceremus: nam, si Stoicos his oppugnaret poeta, nemo esset, qui negaret eum haec argumenta ex Epicuri scriptis sumpsisse. Sed Stoici mundum aeternum esse negabant [2]): ἐκπυρώσει omnia peribunt. Heraclitus talem mundi interitum iam docuit: *ἕνα εἶναι κόσμον, γεννᾶσθαί τε αὐτὸν ἐκ πυρὸς καὶ πάλιν ἐκπυροῦσθαι κατά τινας περιόδους ἐναλλὰξ τὸν σύμπαντα αἰῶνα* [3]). Eum sequentes Stoici: *ἀρέσκει δὲ τοῖς πρεσβυτάτοις τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως ταύτης, ἐξαεροῦσθαι πάντα κατὰ περιόδους τινὰς τὰς μεγίστας εἰς πῦρ αἰθερῶδες ἀναλυομένων πάντων* [4]). *Ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον, ἅτε γενητὸν τῷ λόγῳ τῶν δι' αἰσθήσεως νοουμένων, οὗ τά τε μέρη φθαρτά ἐστι καὶ τὸ ὅλον, τὰ δὲ μέρη τοῦ κόσμου φθαρτά· εἰς ἄλληλα γὰρ μεταβάλλει· φθαρτὸς ἄρα ὁ κόσμος· καὶ εἴ τι ἐπιδεκτικόν ἐστι τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολῆς, φθαρτόν ἐστι· καὶ ὁ κόσμος ἄρα· ἐξαυχμοῦται γὰρ καὶ ἐξυδατοῦται* [5]). Cleanthes, qui solem dominari et rerum potiri putat [6]), *τῇ ἐκπυρώσει λέγει τὴν σελήνην καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα τὸν ἥλιον ἐξομοιώσειν πάντα ἑαυτῷ καὶ μεταβαλεῖν εἰς ἑαυτόν* [7]). Re vera ut ex Eusebii loco modo laudato apparet, inter recentiores Stoicos fuerunt, qui mundum aeternum esse putarent, inter quos Panaetius [8]) et fortasse Boëthus [9]) numerandi sunt, sed tamen Lucretii tempore Stoici Romae veteres scholae principes sequebantur: „ex quo eventurum nostri putant (Balbus Stoicus loquitur) id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum

---

[1]) Cf. ad vs. 116, 119, 156.

[2]) Quî Munrous affirmare possit, „the stoics *of course* maintaining its immortality" non intellego.

[3]) D. L. IX, 8.

[4]) Euseb. pr. ev. XV, 18, 1.

[5]) Diog. L. VII, 1, 141.

[6]) Cic. Acad. II, 41, 126.

[7]) Plut. c. not. 31, 10.

[8]) D. L. VII, 141.

[9]) Zeller III, 1, pag. 143 not.

omnis mundus ignesceret, quum humore consumpto neque terra ali posset neque remearet aer, cuius ortus aqua omni exhausta esse non posset; ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursum, animante ac deo, renovatio mundi fieret atque idem ornatus oreretur"[1]). Seneca autem idem affirmat: „nos quoque felices animae et aeterna sortitae (verba sunt mortui beati), cum Deo visum sit iterum ista moliri, labentibus cunctis et ipsae parva ruinae ingentis accessio in antiqua elementa vertemur"[2]). — Quodsi igitur Stoici hic non refelluntur a poeta manet quaestio quinam hi sint adversarii. Num Plato eiusque discipuli? Videamus.

Plato dixit deum mundum creasse perfectum, sibi ipsi quam simillimum: in hoc mundo informando perficiendoque *bonum* spectavit, bonitate sua ipsius adductus. *Ἀγαθὸς ἦν (ὁ ξυνιστὰς τὸν κόσμον), ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος·*[3]) *τούτου δ' ἐκτὸς ὢν πάντα ὅτι μάλιστα γενέσθαι ἐβουλήθη παραπλήσια ἑαυτῷ· ταύτην δὴ γενέσεως καὶ κόσμου μάλιστ' ἄν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμων ἀποδεχόμενος ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν· βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν, οὕτω δὴ πᾶν, ὅσον ἦν ὁρατὸν, παραλαβὼν οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον· θέμις δὲ οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾶν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον· λογισάμενος οὖν εὕρισκεν ἐκ τῶν κατὰ φύσιν ὁρατῶν οὐδὲν ἀνόητον τοῦ νοῦν ἔχοντος ὅλον ὅλου κάλλιον ἔσεσθαί ποτ' ἔργον, νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ· διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι ξυνιστὰς τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο, ὅπως ὅτι κάλλιστον εἴη κατὰ φύσιν ἄριστόν τε ἔργον ἀπειργασμένος*[4]), *οὕτως οὖν δὴ κατὰ*

---

[1]) Cic. de nat. deor. II, 118.

[2]) Cons. ad Marc. 26, 7.

[3]) Cf. vs. 156: dicere porro hominum causa voluisse parare praeclaram mundi naturam cett.

[4]) Cf. 196: hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim confirmare aliisque ex rebus reddere multis, nequaquam nobis divinitus esse paratam naturam rerum, *tanta stat praedita culpa.*

λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν τόνδε τὸν κόσμον ζῶον ἔμψυχον ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν[1]) (Tim. pag. 29 E.). Hic quem cernimus mundus simulacrum est mundi cuiusdam aeterni (29 A. B.), quam ob rem mundus est perfectus et etiam unus mundus tantum reperitur (31 B.)[2]). Perfectus hic mundus ipse est deus quidam beatus: *οὗτος δὴ πᾶς ὄντος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ περὶ τόν ποτε ἐσόμενον θεὸν λογισθεὶς λεῖον καὶ ὁμαλὸν πανταχῇ τε ἐκ μέσου ἴσον καὶ ὅλον καὶ τέλεον ἐκ τελέων σωμάτων σῶμα ἐποίησε, ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτοῦ θεὶς διὰ παντός τε ἔτεινε καὶ ἔτι ἔξωθεν τὸ σῶμα αὐτῇ περιεκάλυψε ταύτῃ ... διὰ πάντα δὴ ταῦτα εὐδαίμονα θεὸν αὐτὸν ἐγεννήσατο*[3]). (34 B.). Terra, sol, caelum, mare, sidera, luna, quoniam divina natura sunt praedita, summo numine sic volente, aeterna manebunt: *Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα ἄλυτα ἐμοῦ γ' ἐθέλοντος, τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν, τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ λύειν ἐθέλειν κακοῦ. δι' ἃ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ οὐδ' ἄλυτοι τὸ πάμπαν, οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτ' ἐγίγνεσθε ξυνεδεῖσθε, κ. τ. λ.* (41 A.)[4]). Plato mundum e quattuor elementis creatum esse voluit: *οὕτω δὴ πυρός τε καὶ γῆς ὕδωρ ἀέρα τε ὁ θεὸς ἐν μέσῳ θείς, καὶ πρὸς ἄλληλα καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἀπεργασάμενος, κ. τ. ἑ.* (Tim. 32 B.)[5]). Stellae apud Platonem sedes sunt deorum,

---

[1]) Cf. vs. 144: ... haud igitur constant divino praedita sensu, quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

[2]) Cf. vs. 18: : exemplum porro gignundis rebus et ipsa notities hominum dis unde est insita primum, cett.

[3]) Cf. 122: quae procul usque adeo divino a numine distent, *inque deum numero quae sint indigna videri*, notitiam potius praebere ut posse putentur, quid sit vitali motu sensuque remotum.

[4]) Cf. vs. 114 seqq.: religione refrenatus ne forte rearis terras et solem et caelum, mare sidera lunam, corpore divino aeterna manere, cett.

[5]) Cf. vs. 140: tanto magis infitiandum totum posse extra corpus formamque animalem putribus in *glebis terrarum* aut *solis in igni* aut in *aqua* durare aut altis *aetheris* aris.

qui tamquam animae sunt caelestium corporum (41. A. D.) [1]).

Quis est qui in huius doctrinae auctore non videt Lucretii adversarium, cuius eloquenter exposita doctrina, deorum dum laudes extollit, mundi perfectam pulcritudinem admiratur, poetae animum acerbitate imbutum irritare debuit ita, ut non minus eloquenter eum oppugnaret? Ergo non Stoici sed Plato hisce versibus a Lucretio oppugnantur. Omnino nullius fere philosophi cosmogonia magis ab Epicurea discrepat quam Platonis. In ipsa notione mundi quam maxime dissentiunt: Epicurus innumeros esse mundos dixit, Plato unum tantum: hic Platonis mundus est universum et totum quoddam, quod suis partibus perfectum constat: Epicuri contra universum nihil est quam summa atomorum et vacui sine forma definita.

Consulto Platonis locos e Timaeo tantum sumpsimus, quoniam non totam divi Platonis philosophiam hic refelli putamus, sed hunc solum librum. Quod si recte ostendimus etiam difficilior restat quaestio, num suo marte Lucretius Platoni operam dederit an ex Epicuri scriptis vel aliunde eum cognoverit. Diogenes Laertius [2]) nobiscum communicat Epicurum *τούς τε περὶ Πλάτωνα Διονυσοκόλακας καὶ αὐτὸν Πλάτωνα χρυσοῦν* vocasse, quod procul dubio in malam partem adhibuit, ut nexus docet. Ceterum in Epicuri fragmentis nunquam Plato nominatim refellitur, attamen est locus, unde apparet Epicurum eius doctrinam redarguisse, neque hoc solum verum etiam eum Platonis Timaeum ante oculos habuisse: „tum Velleius fidenter sane, ut solent isti, nihil tam verens quam ne dubitare aliqua de re videretur, tamquam modo ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset [3]), audite, inquit, non futilis commenticiasque sententias, non opificem aedificatoremque mundi, *Platonis de Timaeo deum:* nec anum fatidicam, Stoicorum *πρό-*

[1]) Illud item non est ut possis credere, sedes esse deum sanctas in mundi partibus ullis, vs. 146.

[2]) X, 8.

[3]) Eandem confidentiam atque Epicuri in sua doctrina exponenda produnt haec Lucretii verba: „multo certa ratione magis quam Pythia, quae tripode a Phoebi lauroque profatur, multa tibi expediam doctis solacia dictis" vs. 111. Sane non nimis audax erit qui putet utrumque, Ciceronem et Lucretium, ad eundem Epicuri locum hic respicere.

νοιαν, quam Latine licet providentiam dicere, neque vero mundum ipsum, *animo et sensibus praeditum*, rotundum, ardentem, volubilem *deum*, portenta et miracula non disserentium philosophorum, sed somniantium. Quibus enim *oculis animi* intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a deo atque aedificari mundum facit?" [1]). Consentaneum est igitur Lucretium in Platonis doctrina refellenda quoque Epicurum tantummodo interpretari.

His expositis ad quinti libri initium redeamus. Poeta demonstraturus est mundum totum mortalem esse neque aeternum. „Principio quoniam terrai corpus et umor aurarumque leves animae calidique vapores, e quibus haec rerum consistere summa videtur, omnia nativo ac mortali corpore constant, debet eodem omnis mundi natura putari" [2]). Quaecunque autem nativa sunt, mortalia etiam esse debent [3]). Vs. 247—60 demonstrat terram esse mortalem; deinde vs. 261—72 aquam non aeternam esse; vs. 273—81 aerem semper mutari, ergo mortalem esse; denique vs. 281—305 lucem exitium non posse evitare. Omnes etiam quae durissimae sunt et fere perpetuo durare videntur res terrenae, interire videmus: cur ergo terra maneret? Denique si aether, quod quidam memorant, procreat ex se omnia recipitque perempta, etiam mortalis est [4]). Eodem modo Epicurum ratiocinatum esse videre licet e D. L. X. 74: **δῆλον οὖν ὡς καὶ φθαρτούς φησι τοὺς κόσμους, μεταβαλλόντων τῶν μερῶν** [5]). Hae partes

---

1) Cic. de nat. deor. I, 818.

2) Vs. 235 seqq.

3) Itidem Epicurus: Plut. plac. II, 4, „Εἰ ἄφθαρτος ὁ κόσμος" dicit: 'Επίκουρος φθαρτόν, ὅτι καὶ γενητόν, ὡς ζῷον, ὡς φυτόν.

4) Vs. 306—323.

5) Codex Leidensis: ἄδηλον οὖν ὡς καὶ ἀφθάρτους φησὶ τοὺς κόσμους μεταβαλλόντων τῶν ἡμερῶν. ἄδηλον, ἀφθάρτους, ἡμερῶν mutanda esse quisque facile videbit: non tamen video cur etiam φησὶ omittendum sit et φθαρτοὶ κόσμοι legendum, quod plurimi faciunt. Deinde in codice sequuntur haec: καὶ ἐν ἄλλοις τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι. Satis dilucidum mihi videtur haec omnia a Diogene ex aliis libris, sive περὶ φύσεως, sive e magna epitome, adscripta esse et ad ἐν ἄλλοις supplendum esse φησι. Qui hoc non probant sed haec verba Epicuro ipsi tribuunt, non possunt postremam illam sententiam cum ceteris ita coniungere, ut nexus sit perspicuus, sed

autem elementa illa esse mihi videntur, quae Lucretius enumerat, nam atomi esse non possunt cum hae sint immutabiles. — Ordinem argumentorum apud Lucretium rectum esse negare debemus. Quatuor elementa mortalia esse demonstraturus erat: at nunc quintum addit aethera et rursus terram non „validas aevi vires perferre" ostendit. Si textum igitur restituere volumus vs. 306—317 post vs. 260 et vs. 318—323 post 280 legi debent.

Deinde aliud est argumentum: expugnatio enim Troiae bellumque Thebanum antiquissima sunt facta quae a poetis memorantur: ergo terra nostra recens est facta. Quod si contendis antea omnia eadem fuisse sed igne vel aqua interisse quondam, tamen apparet „exitium quoque terrarum caelique futurum, nam cum res tantis morbis tantisque periclis temptarentur, ibi si tristior incubuisset causa, darent late eladem magnasque ruinas" [1]). Stoici autem putarunt: *μετὰ τὴν ἐκπύρωσιν πάλιν πάντα ταὐτὰ ἐν τῷ κόσμῳ γίνεσθαι κατ' ἀριθμὸν, ὡς καὶ τὸν ἰδίως ποιὸν πάλιν τὸν αὐτὸν τῷ πρόσθεν εἶναί τε καὶ γίνεσθαι ἐκείνῳ τῷ κόσμῳ* [2]). Non solum igne verum etiam aqua hae mutationes fiunt. Seneca nat. qu. III. 27. Haec argumenta, quorum alterum e natura mundi est sumptum, alterum vero ex historia, sequitur tertium magis absolutum et dialecticorum more elaboratum. Singulos casus praetermittens, quaerit quid omnino possit interire, quid aeternum sit. „Praeterea quae cumque manent aeterna necessust aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat artas dissociare intus partis, ut materiai corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante, aut ideo durare

---

coguntur alium locum iis tribuere, ut Gassendus, nimis audacem adhibens emendationem. Sed cur non potuit sive in libris περὶ φύσεως sive in magna epitome etiam de aethere sermo esse, qui totam terram circumdet, ita ut haec ei supervehi et quasi innatare dici possit, praesertim cum eodem modo Lucretius de eo loquatur vs. 318—323? Eiusmodi annotationes, nexu prorsus sublato, saepius insertae sunt a Diogene.

[1]) Vs. 324—350. Hic statuit: „habet novitatem summa, recensque naturast mundi neque pridem exordia cepit" (vs. 330, 31); sed II. 1150: „iamque adeo fracta est aetas, effetaque tellus" cett. Ergo animadverte quam debilis et misera sit haec terra, quae iuvenis iam senescit, vix nata iam mortem obit.

[2]) Alex. Anal. pr. 58.

aetatem posse per omnem, plagarum quia sunt expertia, sicut inane est, quod manet intactum neque ab ictu fungitur hilum, aut etiam quia nulla loci fit copia circum, quo quasi res possint discedere dissoluique, sicut summarum summa est aeterna, neque extra qui locus est quo dissiliant, neque corpora sunt quae possint incidere et valida dissoluere plaga." Haec tria autem mundi non sunt propria: ergo mortalis est [1]). Quartum denique argumentum sumitur ex aquae et ignis perpetuo certamine. Aliquando fortasse alterum superabit, ut poetae canunt iam antea Phaethonte a recta via aberrante solem omnia torruisse, et aquam quoque iam superasse Deucalionis tempore [2]). Hoc argumentum tamen ante tertium ponere mallemus, nam mirum in modum hoc tertium, quod alius est generis ratiocinationis, interrumpit tria reliqua; praeterea Lucretius vulgo eiusmodi argumenta, quae ratione nituntur neque usu vitae et consuetudine, ultima ponit. Cf. III. 819 seqq. Sed coniunctio *denique* impedit, quominus ordinem mutemus: fortasse poeta hoc quartum ultimum esse voluit quoniam artem poeticam respicienti pulcherrimum est eoque dignissimum, quod argumentationem concludat. Tria illa argumenta autem conferenda sunt cum Stoicorum sententia [3]): *ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον, ἅτε γενητὸν τῷ λόγῳ τῶν δι' αἰσθήσεως νοουμένων, οὗ τά τε μέρη φθαρτά ἐστι καὶ τὸ ὅλον· τὰ δὲ μέρη τοῦ κόσμου φθαρτά· εἰς ἄλληλα γὰρ μεταβάλλει· φθαρτὸς ἄρα ὁ κόσμος· καὶ εἴ τι ἐπιδεκτικόν ἐστι τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολῆς, φθαρτόν ἐστι· καὶ ὁ κόσμος ἄρα· ἐξαυχμοῦται γὰρ καὶ ἐξυδατοῦται.*

Mundus dissolubilis est quoniam initium habuit. Quomodo autem omnia formata sint nunc explicaturus est poeta. Neque consilio deorum neque mente decretoque atomorum hoc factum est, post multas ex aeterno tempore collisiones, tandem ita con-

---

1) Vs. 351—79. Simile argumentum Plut. plac. I. 5 Platoni tribuit: mundum unicum esse, *ἐκ τοῦ μὴ ἔσεσθαι αὐτὸν ἄφθαρτον, ἐὰν ᾖ τι ἐξωτέρω αὐτοῦ.*

2) 380—415.

3) D. L. VIII, 1, 141.

currerunt atomi, ut hic mundus exoreretur. Primum chaos erat. „Hic neque tum solis rota cerni lumine largo altivolans poterat nec magni sidera mundi nec mare nec caelum nec denique terra neque aër nec similis nostris rebus res ulla videri, sed nova tempestas quaedam molesque coörta omne genus de principiis, discordia quorum intervalla vias conexus pondera plagas concursus motus turbabat proelia miscens, propter dissimilis formas variasque figuras quod non omnia sic poterant coniuncta manere nec motus inter sese dare convenientis. Diffugere inde loci partes coepere, paresque cum paribus iungi res et discludere mundum membraque dividere et magnas disponere partes, hoc est, a terris altum secernere caelum, et seorsum mare uti secreto umore pateret, seorsus item puri secretique aetheris ignes" [1]). Graves terrae particulae primum „coibant in medio atque imas capiebant" sedes, quo facto illae „expressere ea quae mare sidera solem lunamque efficerent et magni moenia mundi": horum atomi enim leviores sunt quam terrae. „Ideo, per rara foramina, terrae partibus erumpens primus se sustulit aether ignifer et multos secum levis abstulit ignis, non alia longe ratione ac saepe videntur, aurea cum primum gemmantis rore per herbas matutina rubent radiati lumina solis, exalare lacus nebulam fluviique perennes, ipsaque ut inter dum tellus fumare videtur; omnia quae sursum cum conciliantur, in alto corpore concreto subtexunt nubila caelum" [2]). Ultimas summasque igitur occupavit sedes aether, quoniam levissimus erat; „hunc exordia sunt solis lunaeque secuta", quae, quoniam graviora erant aethere, leviora tamen terra, locum inter utrumque ceperunt [3]). Terra, levior cum esset hisce partibus detractis, magis succidit ubi nunc est mare latum: quo magis terra solis radiis aetherisque aestu condensabatur, eo magis exhalabat salsum sudorem in mare eoque magis leviores aer et ignis in caelum ascendebant ibique sidera formabant. „Sidebant campi, crescebant montibus altis ascensus: neque enim

---

[1]) Vs. 432—49.

[2]) Vs. 457—66.

[3]) Vs. 471—79.

poterant subsidere saxa nec pariter tantundem omnes succumbere partis" [1]). Itaque secundum gravitatis rationem terra, mare, aer, aether separata sunt; aether autem altissimus supra omnia fluit, uno certoque aestu (quo simul sidera corripiuntur) semper fluens neque turbatus aeris procellis [2]).

Plutarchus nobis offert locum huic simillimum [3]). *Ὁ τοίνυν κόσμος συνέστη περικεκλασμένῳ σχήματι ἐσχηματισμένος τὸν τρόπον τοῦτον. τῶν ἀτόμων σωμάτων ἀπρονόητον καὶ τυχαίαν ἐχόντων τὴν κίνησιν, συνεχῶς τε καὶ τάχιστα κινουμένων εἰς τὸ αὐτὸ, πολλὰ σώματα συνηθροίσθη, καὶ διὰ τοῦτο ποικιλίαν ἔχοντα καὶ σχημάτων καὶ μεγεθῶν. ἀθροιζομένων δ'ἐν ταυτῷ τούτων, τὰ μὲν, ὅσα μείζονα ἦν, καὶ βαρύτατα, πάντως ὑπεκάθιζεν· ὅσα δὲ μικρὰ καὶ περιφερῆ καὶ λεῖα καὶ εὐόλισθα, ταῦτα καὶ ἐξεθλίβετο κατὰ τὴν τῶν σωμάτων σύνοδον, εἴς τε τὸ μετέωρον ἀνεφέρετο. ὡς δ' οὖν ἐξέλιπε μὲν ἡ πληκτικὴ δύναμις μετεωρίζουσα, οὐκέτι δ' ἦγεν ἡ πληγὴ πρὸς τὸ μετέωρον, ἐκωλύετο δὲ ταῦτα κάτω φέρεσθαι, ἐπιέζετο πρὸς τοὺς τόπους τοὺς δυναμένους δέξασθαι· οὗτοι δ' ἦσαν οἱ πέριξ, καὶ πρὸς τούτοις τὸ πλῆθος τῶν σωμάτων περιεκλᾶτο, περιπλεκόμενα δ' ἀλλήλοις κατὰ τὴν περίκλασιν τὸν οὐρανὸν ἐγέννησαν, τῆς δ' αὐτῆς ἐχόμεναι φύσεως αἱ ἄτομοι, ποικίλαι οὖσαι (καθὼς εἴρηται), πρὸς τὸ μετέωρον ἐξωθούμεναι, τὴν τῶν ἀστέρων φύσιν ἀπετέλουν. τὸ δὲ πλῆθος τῶν ἀναθυμιωμένων σωμάτων ἔπληττε τὸν ἀέρα, καὶ τοῦτον ἐξέθλιβε· πνευματούμενος δὲ οὗτος κατὰ τὴν κίνησιν, καὶ συμπεριλαμβάνων τὰ ἄστρα, συμπεριῆγε ταῦτα, καὶ τὴν νῦν περιφορὰν αὐτῶν μετέωρον ἐφύλαττε. κἄπειτα ἐκ μὲν τῶν ὑποκαθιζόντων ἐγεννήθη ἡ γῆ· ἐκ δὲ τῶν μετεωριζομένων οὐρανός, πῦρ, ἀήρ· πολλῆς δε ὕλης ἔτι περιειλημμένης ἐν τῇ γῇ, πυκνουμένης τε ταύτης κατὰ τὰς ἀπὸ τῶν πνευμάτων πληγὰς καὶ τὰς ἀπὸ τῶν ἀστέρων αὔρας, προσεθλίβετο πᾶς ὁ μικρομερὴς σχηματισμὸς ταύτης, καὶ τὴν ὑγρὰν φύσιν ἐγέννα, ῥευστικῶς δε αὔτη διακειμένη κατεφέρετο πρὸς τοὺς κοίλους τόπους καὶ δυναμένους χωρῆσαι τε καὶ στέξαι, ἢ καθ' αὑτὸ τὸ*

1) Vs. 480—94.
2) Vs. 495—508.
3) Plac. phil. I. cap. IV.

ὕδωρ ὑποστὰν, ἐκοίλανε τοὺς ὑποκειμένους τόπους· τὰ μὲν οὖν κυριώτατα μέρη τοῦ κόσμου τὸν τρόπον τοῦτον ἐγεννήϑη". Miram similitudinem esse huius cosmogonicae descriptionis cum Lucretianis versibus nemo sane negabit. Sed Plutarchus, qui vulgo nomina auctorum, quorum laudat placita, adscribit, hanc laudabilem consuetudinem hic neglexit, quo fit ut dubitari possit de philosopho, cui tribuendus sit ille locus. Empedoclis esse non potest cum plures ob causas, tum ob hanc, quod ille quattuor elementa ex harmonia sphaerae primum egressa esse putat, noster illud chaos congressum et turbam omnium generum atomorum facit. Gassendus de auctore nihil dicit. Reisacker in quaestt. lucr. p. 29 totam descriptionem ad mentem Epicuri expressam esse tantum affirmat. Eduardus Corsinus (Plutarchi de plac. phil. libri V. Florentiae 1750) in dissertatione I. ad hoc caput annotavit: „quamvis Plutarchus hic ab instituto fere deflectens unicam solum de Mundi origine ac formatione sententiam expresserit ipsamque dissimulato auctoris nomine veluti propriam proposuerit, illam tamen non alteri, quam Epicuro, adscribendam esse observavi; idque perspicue tum atomorum mentio, quibus universa rerum compages constare dicitur, tum figurarum varietas, quae atomis conceditur, demonstraret". Huic libenter assentimur. Quatenus Empedoclis carminis vestigia inveniantur postea ostendere in animo est. Illud nobis satis perspicuum videtur, ut in omnibus, sic in hac descriptione quoque, si rem quidem, non formam animadvertamus, Lucretium Epicurum tantum magistrum secutum esse.

In argumento libri quinti enarrando Lucretius verba non fecit de astrorum motibus. Vs. 76 „praeterea, inquit, solis cursus lunaeque meatus expediam qua vi flectat natura gubernans" et vs. 772 hac doctrina exposita, „quoniam, inquit, magni per caerula mundi qua fieri quicquid posset ratione resolvi (explicavi), solis uti varios cursus lunaeque meatus noscere possemus quae vis et causa cieret," cett. Quod autem de solis lunaeque motu dicturus erat, id quoque de astris intellegi eum voluisse, videmus e vs. 614—50, imprimis e vs. 623 „quanto quaeque magis sint terram sidera propter" cett. atque e vs. 643 „et ratione pari *lunam stel-*

lasque putandumst." [1]). Cum autem haec pertractasset, poetae visum est, non satis copiose disputatum esse de astrorum motu, quam ob rem vs. 509—33 addidit, qui hanc ob causam nexu cum praecedentibus carent.

In meteoris explicandis Lucretius eandem adhibet rationem atque Epicurus. Supra vidimus „*κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη*" (D. L. X. 31). In meteoris autem haec tria adhiberi non possunt, quoniam nimis magno intervallo impedimur, quominus experimentis eorum naturam cognoscamus. Quare „quid in hoc mundo sit eorum (rationum, quae propositae sunt) ponere certum difficile est" (vs. 526). In terra omnia una certaque ratione explicari possunt, *ὅπερ ἐπὶ τῶν μετεώρων οὐχ ὑπάρχει* (D. L. 86)· *ἀλλὰ ταῦτά γε πλεοναχὴν ἔχει καὶ τῆς γενέσεως αἰτίαν καὶ τῆς οὐσίας ταῖς αἰσθήσεσι σύμφωνον κατηγορίαν.* Haec verba tamen non sic interpretanda sunt, tamquam revera plures causas habeant meteora, ita ut modo sic modo aliter fiant; sed nobis indagantibus plures se ostendunt causae, quibus illa phaenomena explicari possint: inter has causas una vera esse debet, quam tamen indicare non possumus [2]). Has causas „possibiles" invenire possumus si ea, quae in caelo fiunt, cum iis, quae in terra videntur, componimus. Ergo fac esse phaenomenon quoddam in caelo, quod explicandum mihi sit: in terra simile quid fieri video; licebit dicere: eodem modo quo hoc, quod in terra est, fit, caeleste id phaenomenon *fieri potest*, non tamen: *fit*, nam horum, quae in terra fiunt, causam experimentis cognoscere possum, ita ut hanc unam certamque esse dicam, in meteoris autem hanc certitudinem assequi non possum. Qui harum „possibilium" causarum nonnullas neglegat et unam pro explorata probet, eum profecto constat omni naturae excidisse ratione atque ad fabulas esse devolutum. D. L. X. 87: *πάντα μὲν οὖν* (cod. Leid. *οὐ*) *γίνεται ἀσείστως κατὰ*

---

[1]) Eadem semper coniunxit Epicurus. D. L. X. 90. *ἥλιός τε καὶ σελήνη καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα* . . . 91: *τοῦ ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων* . . 92: *ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων.*

[2]) Vs. 531 seqq.

πάντων, κατὰ πλεοναχὸν τρόπον ἐκκαθαιρομένων συμφώνως τοῖς φαινομένοις, ὅταν τις τὸ πιθανολογούμενον ὑπὲρ αὐτῶν δεόντως καταλίπῃ· „omnia igitur in omnibus fiunt secundum immutabilem rationem (id est: in omnibus phaenomenis eaedem naturae leges observari possunt), si multiplici ratione (id est: ita ut singula phaenomena iterata tantum adhibita investigatione explicentur) expurgantur convenienter iis, quae videntur, quum quis quod probabiliter de iis (phaenomenis) dicitur, ut oportet, relinquit (fieri posse concedit). *ὅταν δέ τις τὸ μὲν ἀπολίπῃ* (non *omiserit* sed *reliquerit*), *τὸ δὲ ἐκβάλῃ ὁμοίως σύμφωνον ὂν τῷ φαινομένῳ, δῆλον ὅτι καὶ ἐκ παντὸς ἐκπίπτει φυσιολογήματος, ἐπὶ δὲ τὸν μῦθον καταρρεῖ. σημεῖα δέ τινα τῶν ἐν τοῖς μετεώροις συντελουμένων φέρει* (cod. *φέρειν*) *τῶν παρ' ἡμῖν τινα φαινομένων ἃ θεωρεῖται ᾗ* (cod. *ἡ*) *ὑπάρχει, καὶ οὐκ αὐτὰ τὰ* (cod. *οὐ τὰ* mutavi in *οὐκ αὐτὰ τά*, quoniam mihi dicere videtur Epicurus, quae apud nos videntur non eadem esse atque ea, quae in caelo videantur, sed similia tantum, indicia nonnulla e quibus concludi possit quid *possibile* sit) *ἐν τοῖς μετεώροις φαινόμενα* (*τὰ φαινόμενα* Epicuro non sunt rerum apparentiae (quas *φάσματα* vocat), sed res ipsae, quae apparent). *ταῦτα γὰρ ἐνδέχεται* (sic cod. Leid., alii: *οὐκ ἐνδέχεται*) *πλεοναχῶς γενέσθαι. τὸ μέντοι φάντασμα ἑκάστων τηρητέον καὶ ἐπὶ τὰ συναπτόμενα τούτῳ διαιρετέον, ἃ οὐκ ἀντιμαρτυρεῖται τοῖς παρ' ἡμῖν γινομένοις πλεοναχῶς συντελεῖσθαι.*" Lucretius in re tam gravi a magistro non aberrat: „quid *possit fiatque* per omne in variis mundis varia ratione creatis, id doceo, *plurisque* sequor disponere *causas* motibus astrorum quae possint esse per omne; e quibus *una* tamen siet *haec* quoque *causa* necessest, quae vegeat motum signis; sed *quae* sit earum praecipere haut quaquamst pedetemtim progredientis" [1]).

Lucretius procul dubio de nostro mundo solo dixit: sed tamen monendum est, Epicurum statuisse infinitum esse mundorum numerum. Mundus autem est *περιοχή τις οὐρανοῦ ἄστρα τε καὶ γῆν καὶ πάντα τὰ φαινόμενα περιέχουσα, ἀποτομὴν ἔχουσα ἀπό τοῦ ἀπείρου καὶ καταλήγουσα ἐν πέρασιν ἢ ἀραιῷ ἢ πυκνῷ ἢ ἐν περια-*

---

1) V. 527 seqq.

γομένῳ ἢ ἐν στάσιν ἔχοντι . . . πανταχῶς γὰρ ἐνδέχεται [1]). In nostro mundo autem λῆγον οὐκ ἔστι (τι) καταλαβεῖν (l. l.). Ergo si Empedocles solem putat ὑπὸ τῆς περιεχούσης αὐτὸν σφαίρας κωλυόμενον ἄχρι παντὸς εὐθυπορεῖν καὶ ὑπὸ τῶν τροπικῶν κύκλων [2]), Epicurus eum non refellit, nam potest mundus in finem desinere densum: si alius tamen id fieri negat putatque, ut Anaximander, caelum ἐκ πέμπτου σώματος, ἢ ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος [3]) constare, neque id Epicurus negabit. Num Epicurus et Lucretius Xenocrati [4]) assensi sint, censenti κατὰ μιᾶς ἐπιφανείας κεῖσθαι (sic cum Stobaeo legendum est; Plut. habet κινεῖσθαι), τοὺς ἀστέρας, an Democrito Stoicisque [5]), putantibus πρὸ τῶν ἑτέρων τοὺς ἑτέρους ἐν ὕψει καὶ βάθει positos esse, non constat. — Supra iam locum laudavimus (D. L. 88), e quo apparet Epicurum non definivisse utrum caeli orbis vertatur an vero maneat in statione [6]). Idem Lucretius vs. 510 et 517. Si autem magnus caeli orbis vertitur [7]), astrorum motus sic explicari possunt. Ne dissolvatur mundus, necesse est, ex utraque parte aer premat polum mundi, sive axis fines, circum quem volvitur. Ut haec revolutio porro fiat, tertio aere sive vento opus est, qui medius inter utrumque polum supra totum orbem fluat eumque in eandem partem volvat, atque aeterni mundi sidera volvantur, nam ea totius caeli orbis rotatione fit, ut sidera se circumvolvere videantur. Idem tamen quoque fieri potest, et in eandem partem sidera se circumvolvent, si alium ventum, in contrarias partes se moventem, subtus caelum provolvere statuimus [8]). Eodem igitur

---

1) D. L. X. 88.

2) Plut. plac. II. 23. cf. II, 11.

3) Plut. plac. II, cap. 11, ubi tamen minime recte hoc placitum Aristoteli tribuitur. Stobaeus Anaximandro id tribuit: recte. cf. Müllach. fr. Anaxim. I. p. 240 fr. 2.

4) Plut. plac. II, 15. Idem censuit Anaximander, plac. II, 16.

5) L. l. Lucr. V. vs. 623 seqq.

6) Cf. praeterea 92: τάς τε κινήσεις αὐτῶν (τῶν ἄστρων) οὐκ ἀδύνατον μὲν γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην, ἢ τούτου μὲν στάσιν, αὐτῶν δὲ δίνην.

7) Quod Anaximander vult: plac. II, 16: Ἀναξίμανδρος, ὑπὸ τῶν κύκλων καὶ τῶν σφαιρῶν ἐφ' ὧν ἕκαστος (τῶν ἄστρων) βέβηκε, φέρεσθαι astra putat.

8) Cum Munroo codicum lectionem probo. V. 509—16.

modo caelum versatur atque fluviis et ventis saepe rotas volvi videmus. In Epicuri, quae aetatem tulerunt, fragmentis de aere caeli polos premente nihil sane legimus, attamen cum apud eum aer eodem fungatur ad terram sustinendam officio, ut statim ostendetur, procul dubio Lucretius haec e libro undecimo περὶ φύσεως, ubi de hisce rebus agebatur [1]), hausit. Rotae illa imagine iam Anaximander usus est, teste Stobaeo [2]), solem dicens τροχῷ παραπλήσιον esse. — Si autem caelum quiescit, „tamen cum lucida signa ferantur", hic motus rursus variis modis explicari potest: sive cum Anaximandro [3]) putemus solem (exempli gratia) esse τροχῷ παραπλήσιον, ἔχοντα κοίλην περιφέρειαν, πλήρη πυρὸς, κατὰ μέρος ἐκφαίνουσαν διὰ στομίου τὸ πῦρ, ὥσπερ διὰ πρηστῆρος, quo auctore ergo astra circumferuntur, „quod inclusi rapidi sunt aetheris aestus, quaerentesque viam circumversantur et ignes passim per caeli volvunt summania templa" [4]). Ipse Epicurus coniecisse videtur astrorum motus etiam fieri posse aeris extrinsecus illato pulsu. In cap. IV. libr. I plac. Plutarchi, quod supra ostendimus videri ipsius Epicuri opinionem exprimere, legimus: τὸ δὲ πλῆθος τῶν ἀναθυμιωμένων ἔπληττε τὸν ἀέρα, καὶ τοῦτον ἐξέθλιβε, πνευματούμενος δὲ οὗτος κατὰ τὴν κίνησιν, καὶ συμπεριλαμβάνων τὰ ἄστρα, συμπεριῆγε ταῦτα: est hoc solum, quod invenire potuimus, placitum congruens cum Lucretii verbis vs. 522: „sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aer versat agens ignes". Tenendum autem est hanc Epicuri opinionem nihilo plus esse quam coniecturam, qua explicet quomodo motus ille fieri *possit.* Cum reliqua doctrina, terram aere circumdatam esse et sustineri, qui aer cum „partibus aeriis mundi" (538, 53) cohaereat, optime convenit. Anaximenes primus eiusmodi explicationem protulisse videtur: Ἀναξιμένης (putat) ὑπὸ πεπυκνωμένου ἀέρος καὶ ἀντιτύπου ἐξωθεῖσθαι τὰ ἄστρα [5]). Denique Heraclitus refelli non potest censens caelestes illos ignes

---

[1]) Cf. D. L. X. 91 et Vol. Herc. II.

[2]) Ecl. I. pag. 510.

[3]) Stob. l.l. Plut. II, 20 plac.: idem de luna 25. Euseb. praep. ev. I, 8.

[4]) Vs. 519 seqq. *summania* contra Lachm. defendit Munrous.

[5]) Plut. plac. II: 23.

serpere „quo cuiusque cibus vocat atque invitat aventis flammea per caelum pascentis corpora passim" (523 seqq.) Ab Heraclito Stoici miram hanc doctrinam sumpserunt: putant *οἱ Στωικοὶ κατὰ τὸ διάστημα τῆς ὑποκειμένης τροφῆς διέρχεσθαι τὸν ἥλιον· ὠκεανὸς δ' ἐστιν ἡ γῆ, ἧς τὴν ἀναθυμίασιν ἐπινέμεται* [1]). Quomodo autem astra cibum sibi sumere possint, optime nobis apparere ex hisce Anacreonteis versibus videtur:

Ἡ γῆ μέλαινα πίνει,
πίνει δὲ δένδρε' αὖ γῆν·
πίνει θάλασσα δ' αὔρας·
ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν,
τὸν δ' ἥλιον σελήνη.
τί μοι μάχεσθ' ἑταῖροι
καὐτῷ θέλοντι πίνειν [2]);

qui versus procul dubio ad Heracliti doctrinam conformati sunt. Epicurus hanc doctrinam sic interpretatus est, ut suis philosophiae principiis eam accommodaret. Ait enim astra se movere posse *τῇ θερμασίᾳ κατά τιν' ἐπινέμησιν τοῦ πυρὸς ἀεὶ ἐπὶ τοὺς ἑξῆς τόπους ἰόντος* [3]). Ut flammas lambentes ad loca, quae deinceps sunt, perpetuo procedere videmus, sic astra quoque, cum calore iis opus sit, proserpunt eo, quo hoc quasi nutrimentum inveniunt. Haec explicatio tamen differt ab ea, quam Lucretius profert: altera enim mechanicorum more, ut ita dicam, phaenomenon explicat, quod omnino Epicuri doctrina poscit: ipse monet ne putemus astra *κατὰ βούλησιν τὰς κινήσεις ταύτας λαμβάνειν* [4]). Lucretius, cuius poetico ingenio altera magis placuit explicatio, quae Heracliti verba ad litteram sumit, non perspexisse videtur, se hoc placito probato a magistri via aberrasse. Ceterum satis erit perspicuum poetam in tota hac carminis parte Epicuri exemplum secutum esse. — In libr. I. vs. 1052 seqq.

---

[1]) Plut. l. l.

[2]) Bergk. Poetae lyr. graec. III. p. 1057 no. 21. ed. 3. Sic terra nutritur ex aere, quiescit tamen neque cibum sibi quaerit, vs. 275 seqq.

[3]) D. L. X. 93.

[4]) D. L. X. 77.

Lucretius oppugnat Stoicos qui docebant „in medium *summae* omnia niti, atque ideo mundi naturam stare sine ullis ictibus externis neque quoquam posse resolvi summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa" [1]. Cum autem unicum esse mundum hi putarent atque *finitum* [2]), non apte Lucretius iis obiecisse videtur (vs. 1070, 71) non posse medium esse in *infinito*. Cum ipse opinetur infinitam esse materiem, ratiocinatur tamquam Stoicis idem placuisset, putatque illorum κόσμον universum sive summam, quod vocat, esse. Est ergo idem vitium, in quod iam antea ostendimus eum saepius incidisse, nempe quod e sua doctrina adversarios refellit eoque fallitur. Praeterea monet vacuum sive spatium non aptum esse, quod corpora retineat, nam „locus ac spatium, quod inane vocamus, per medium, per non medium, concedere debet aeque ponderibus, motus qua cumque feruntur, nec quisquam locus est, quo corpora cum venerunt, ponderis amissa vi possint stare in inani: nec quod inane autem est ulli subsistere debet, quin, sua quod natura petit, concedere pergat" (I. 1074 seqq.). Hoc idem Epicurus docet: παρεχομένου τοῦ κενοῦ τὴν εἶξιν [3]) ὁμοίαν καὶ τῇ κουφοτάτῃ καὶ τῇ βαρυτάτῃ τῶν ἀτόμων, et postea: ἥ τε γὰρ τοῦ κενοῦ φύσις ...... τὴν ὑπέρεισιν οὐχ οἵα τ' οὖσα ποιεῖσθαι [4]). Denique sibi constare non possunt Stoici „quoniam non omnia corpora fingunt in medium niti"; negari enim non potest multas res, ut puta auras leves flammasque „a medio differri" [5]). Si illorum vera esset doctrina, mundum totum infinito vacuo esse circumdatum, „volucri ritu flammarum moenia mundi diffugerent subito magnum per inane soluta et cetera consimili ratione sequerentur", „nam qua cumque prius de parti

---

[1]) Cf. Stob. ecl. I, 19, 4: πάντα τὰ μέρη τοῦ κόσμου ἐπὶ τὸ μέσον τοῦ κόσμου τὴν φορὰν ἔχειν Zenoni placuit.

[2]) D. L. VII: 140: ἕνα τὸν κόσμον εἶναι καὶ τοῦτον πεπερασμένον ... ἔξωθεν δὲ αὐτοῦ περικεχυμένον εἶναι τὸ κενὸν ἄπειρον .....

[3]) Ita legi debere pro ἴξιν ostendit cod. Leid. qui ἰ ξιν cum spiritu leni et unius litterae spatio relicto habet.

[4]) D. L. X. 43 et 44: pro τὸν αἰῶνα substitui τῶν ἀτόμων.

[5]) I. 1083 seqq.

corpora desse constitues, haec rebus erit pars ianua leti: hac se turba foras dabit omnis materiai" [1]).

In libro quinto vs. 534 seqq. huic Stoicorum doctrinae opposita Epicuri argumenta proferuntur. Non perspicuum est quam formam terrae tribuerit poeta [2]), quam Stoici sphaeram esse contendebant [3]). Epicurus de mundorum forma dixit; *ἔτι δὲ καὶ τοὺς κόσμους οὔτ ἐξ ἀνάγκης δεῖ νομίζειν ἕνα σχηματισμὸν ἔχοντας, ἀλλὰ καὶ διαφόρους αὐτούς, οὓς μὲν σφαιροειδεῖς, οὓς δ' ᾠοειδεῖς, καὶ ἀλλοσχήμονας ἄλλους· οὐ μέντοι πᾶν σχῆμα ἔχειν* [4]). Ergo *potest* terra sphaericam habere formam; attamen e modo, quo Lucretius Stoicos irridet antipodas esse censentes [5]), et quo Epicurus loquitur de eo, quod est *supra* et *infra* [6]), sequi videtur, neutrum hanc terrae formam tribuisse. Fortasse Leucippi qui *τυμπανοειδῆ*, vel Democriti, qui *δισκοειδῆ μὲν τῷ πλάτει, κοίλην δὲ τὸ μέσον* terram dixit [7]), opinionem secuti sunt. Terra autem „in media mundi regione quiescit" (vs. 534): mundus non est infinitus, ergo medium in eo esse potest. Quî autem terra quiscere possit, sic explicat Lucretius. Inde a superficie paulatim terra minus densa fit ita, ut pondus eius deminuatur: tandem in aerem transit, qui ut nebula vel fluvius supter se extendit et cum aere, qui per totum mundum est dispersus, coniunctus est. In hoc aere terra crevit, „ex ineunte aevo (cum eo) est coniuncta atque uniter apta" (537). Idem iis est vinculum atque membris nostris cum toto corpore: „propterea non est oneri (terra) neque deprimit auras; ut sua cuique homini nullo sunt pondere membra, nec caput est oneri collo, nec denique totum corporis in pedibus

---

[1]) I. 1102: Codices praebent lacunam: procul dubio de vacuo mundum circumdante in versibus perditis fuit sermo. Cf. D. L. VII, 140 *ἔξωθεν δὲ αὐτοῦ περικεχυμένον εἶναι τὸ κενὸν ἄπειρον.*

[2]) D. L. l. l. *σχῆμα ἔχοντα σφαιροειδές.*

[3]) Nemo sane e voce „orbis terrarum" quam interdum usurpat poeta, concludet, eum terrae sphaericam formam tribuisse.

[4]) D. L. X. 74.

[5]) I. 1060 seqq.

[6]) D. L. X. 60.

[7]) Plut. plac. III, 11.

pondus sentimus inesse" (539 seqq.). Hoc ipso quod „communibus inter se radicibus haerent" terra et aer, fieri potest, ut aer terram sustineat, nec sua gravitate terra sidat: ut levis vis animi grave corpus movet sustinetque, sic levis ille aer, coniunctus cum gravi terrae corpore, id sustinet facitque, ut in media mundi regione quiescat [1]). Attamen tenendum est terram tantum si mundi partes respicimus quiescere: cum toto mundo tamen et omnibus aliis mundis perpetuo cadit. — Huius doctrinae partis pauca vestigia tantum invenimus in Epicuri fragmentis, quae tamen satis Lucretium haec omnia, quae exposuimus, Epicuro debere, demonstrant. Primum legimus Epicurum docuisse: *τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι* [2]); praeterea in fragmentis libri XI *περὶ φύσεως*, col. I. haec verba sunt integra: *φημι εν μεσῳ ειναι την γην*; denique e lineis 18, 19, 20 eiusdem columnae apparere videtur Epicurum imaginem membrorum corporis quoque usurpasse: legimus enim: *και την γην εν μεσῳ ωστε παντα κατα σχημα κωλων* ....

Acre erat certamen inter antiquos philosophos de magnitudine corporum caelestium [3]). Epicurus in his rebus diiudicandis sibi constat: *τοῖς ἐναργήμασι προςέχειν* debemus. Ergo *τὸ μέγεθος τοῦ ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται.* Diogenes, qui hoc refert, [4]) addit

---

[1]) V. 534—63.

[2]) D. L. X. 74 e. cod. Leid. Vulgo haec verba subiunguntur illis *δῆλον ὡς*; [*καὶ φθαρτούς φησι τοὺς κόσμους μεταβαλλόντων τῶν μερῶν*] minus tamen recte, cum haec verba cum praecedentibus nullum habeant nexum. Diogenes ex aliis Epicuri scriptis ea inseruit: *καὶ ἐν ἄλλοις* (*φησὶ*), quod cod. Leid. aliique praebent ante verba in textu laudata, servandum est. In nota Corsini ad Plac. III. 10 (Florentiae MDCCL) ubi ostendit, Anaximeni hanc doctrinam Plutarchum adscripsisse (*διὸ καὶ κατὰ λόγον αὐτὴν* (*τὴν γῆν*) *ἐποχεῖσθαι ἀέρι*) lego: „Sic Epicurus etiam Tellurem aëri veluti innatantem insidere coniecit apud Laertium Lib. X. seq. 74. *τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι ὡς συγγενῆ.*" — Haec postrema verba sane optime concinunt cum Lucretii vs. 549 et 554: „nam communibus inter se radicibus haerent", sed unde ea petivit verba Corsinus? Neque in cod. Leid. neque apud Huebnerum neque apud Schneiderum, neque apud Casaubonum neque apud alios eam lectionem invenire potui. Legitne fortasse in codice quodam Italo? Cobetus, qui Italos codices consulit, nihil eiusmodi refert.

[3]) Cf. Plut. plac. II. 21.

[4]) X. 91. Verba *ἄλλο γὰρ* ... *ἐστι* difficilia sunt interpretatu. Ritt. et Prell.

Epicurum idem dixisse in libro undecimo περὶ φύσεως: εἰ γὰρ, φησί, τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀπεβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν. Deinde pergit: ἄλλο γὰρ τούτῳ συμμετρότερον διάστημα οὐθέν ἐστι, κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸ ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου ἢ ἔλαττον μικρῷ ἢ τηλικοῦτον ἡλίκον ὁρᾶται· οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πυρὰ ἐξ ἀποστήματος θεωρούμενα κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρεῖται. Idem censet Lucretius: „nec nimio solis maior rota nec minor ardor (χρόα) esse potest, nostris quam sensibus esse videtur [1])": de luna idem dicendum est, „sive notho fertur loca lumine lustrans [2]), sive suam proprio iactat de corpore lucem" [3]). Idem Epicurus: ἔτι τ' ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς, ἐνδέχεται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἡλίου [4]). Argumentum affert idem atque Epicurus, vs. 581: „qua propter luna necesse est, quandoquidem claram speciem certamque figuram praebet, ut est oris extremis cumque notata quantaque quantast hinc nobis videatur in alto." Τὰ παρ' ἡμῖν πύρα invenies vs. 585 seqq.: „postremo quos cumque vides hinc aetheris ignes, quandoquidem quos cumque in terris cernimu' *ignes*, dum tremor *est* clarus, dum cernitur ardor eorum, perparvom quiddam inter dum mutare videntur alteram utram in partem filum, quo longius absunt, scire licet perquam pauxillo posse minores esse vel exigua maioris parte brevique."

Postremos hos versus quoque plane cum Epicuri verbis concinere facile apparet. Apud Lucretium tamen distinctio solis magnitudinis κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς et κατὰ τὸ κατ' αὐτὸ non invenitur; cum autem hanc distinctionem neglexerit, rem turbavit. Dicit enim „nec *nimio* solis maior rota nec minor ardor esse potest, nostris quam sensibus esse videtur" (564, 65). Ergo possunt esse paulo minora vel maiora, quod vs. 594, 95 affirmant, et tamen dicit de sole: „videri nil adeo ut possis plus aut minus addere, vere" (574),

pag. 353 ea addunt ad verba, quae laudantur e libro XI περὶ φύσεως: sed neque sic sententia recte procedit: credo quaedam excidisse.

[1]) Vs. 564 seqq.

[2]) Vs. 575. Ita Pythag. (D. L. VIII, 27.) Democritus, alii.

[3]) Vs. 576. Sic Heraclitus (Plut. plac. II. 28) aliique.

[4]) D. L. X. 94.

atque de luna similia, eam tantam esse, quanta nobis in alto videatur (584), cum deinde rursus addat aetheris ignes „pauxillo posse minores esse vel exigua maiores parte brevique". Procul dubio Epicuri opinionem non perspexit poeta. Epicurus, etiamsi non animadverterit „solis rotam" aestate sive in cancri meta solstitiali nobis minorem videri quam quum „brumalis adeat flexus", tamen vidit solem orientem et occidentem maiorem nobis videri quam meridiano tempore (explicationem invenies Macrob. Sat. VII. 14, 15). Hoc qui fieri possit, non explicat: dicit tantummodo solem nobis tantum esse quantus videatur, unde sequitur, eum matutino tempore maiorem esse quam meridie et a meridie usque ad vesperam rursus crescere. Hoc modo solo etiam explicari potest, quî *κατ' αὐτὸ minor* esse possit sol quam videatur: sol ipse, ut apparet, aliquanto minor revera esse potest, quam nobis videtur sol occidens aut oriens. Haec doctrina nobis fortasse absurda videtur, sed tamen ita Epicurus docuisse debet. Praeterea novimus Epicurum et Lucretium eiusmodi absurdas doctrinas probare, ad sensuum auctoritatem provocantes. Lucr. IV 497: „nec porro poterunt (sensus) ipsi reprehendere sese, aequa fides quoniam debebit semper haberi, proinde *quod in quoquest* his *visum tempore*, *verumst.* et si non poterit ratio dissolvere causam .... tamen praestat rationis egentem reddere mendose causas .... quam manibus manifesta suis emittere quoquam et violare fidem primam et convellere tota fundamenta quibus nixatur vita salusque." — Cum autem sol tam parvus sit, quaeritur, „qua ratione tantulus ille queat tantum sol mittere lumen" [1]). Procul dubio haec difficultas Epicuri sagacitatem non effugit: in epistola tamen ad Pythoclem huius rei mentionem non fecit brevitatis causa: monet tantum eiusmodi impedimenta facile posse vinci, si modo attendimus ad res certas: *καὶ πᾶν δὲ τὸ εἰς τοῦτο τὸ μέρος ἔνστημα ῥᾳδίως διαλυθήσεται, ἐάν τις τοῖς ἐναργήμασι προςέχῃ, ὅπερ ἐν τοῖς περὶ φύσεως βιβλίοις δείκνυμεν* [2]). Ex his igitur libris de natura Lucretius haurire potuit tres

---

[1]) Vs. 590 seqq.
[2]) D. L. X. 91.

huius rei explicationes, quae apud eum reperiuntur [1]). Fieri potest, ut sol sit fons luminis atque ardoris, ita ut elementa caloris ex omni mundo in eum confluant et deinde ex eo erumpant et scateant, non alio modo atque „late parvus aquai prata riget fons inter dum campisque redundet" [2]). Fieri etiam potest, ut ardor solis, etsi parvus hic sit, tamen calidis fervoribus totum accendat aërem, si forte idoneus est aer qui facile inflammetur, eodem modo atque „inter dum segetes stipulamque videmus accidere ex una scintilla incendia passim". Denique fieri potest ut sol circum se habeat multum calorem, „nullo qui sit fulgore notatus", ita ut non videri possit et hanc ob rem aestiferum ictum radiorum tantummodo exaugeat, non lumen simul [3]).

Ut in omnibus huiusmodi quaestionibus, non possumus unam simplicemque afferre causam, ut explicemus, „quo pacto aestivis e partibus aegocerotis brumalis adeat flexus atque inde revertens cancri se ut vertat metas ad solstitiales, lunaque mensibus id spatium videatur obire, annua sol in quo consumit tempora cursu" (vs. 614—19). Primum Democriti sententia vera

---

[1]) Vs. 597—603, 604—609, 610—613.

[2]) Vs. 602, 3.

[3]) Vs. 610 seqq. *Aestiferum* legendum esse censeo, cum Avanc. Lamb. aliisque. Codicum enim auctoritas, *aestiferiu* praebentium, eam poscere mihi videtur: praeterea sententia sic fit clarior. Ictus enim radiorum dicitur augeri; qui autem ictus augetur? Ictus hic est effectus: radii efficiunt caloris et luminis sensum: caloris autem sensus illo „caecis fervoribus igne" augetur. Etiamsi cum Munroo et Lachm. *aestifer* legerem, tamen non intellegere possem, quid Munr. sibi velit in annot. ad vs. 610—13: Tyndall quotes what he calls „this remarkable passage" before his essay on radiation, Frags. of Science p. 170; and in the course of the essay shews that the sun's invisible rays far transcend the visible in heating power; and that about 98 per cent. of the whole radiation from our fires consists of invisible rays." Lucretius non memorat aestiferos radios et luciferos alios: nullo iure hanc distinctionem ei tribuere possumus. Antiqui putabant lucis radios naturam secum ignis devehere: hi aestiferi et luciferi *ictus* radiorum secerni possunt. Sic, exempli gratia, „speculum, cum splendorem de se vi oppositi eminus ignis emittit, solam ignis similitudinem carentem sensu caloris ostendit." Eo quoque fit ut lunae radii calorem secum non devehant. Macrob. comm. in somn. Scip. I. cap. 19, paragr. 13. Quamquam haec doctrina falsa est, tamen nihil est, quod nos cogat, ut eam ab Epicuro abiudicemus.

esse potest, qui ita rem exposuit. Via, quam sol in coelo quotannis percurrere videtur, ab antiquis astronomis iam indicabatur duodecim constellationibus sive stellarum catervis, quibus figurarum quarundam similitudinem tribuebant et quas hanc ob rem vocabant: Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, Libram, Scorpionem, Sagittarium, Capricornum, Aquarium, Pisces. Est ordo ab occasu in ortum. Quoniam horum nominum maxima pars animalia indicat, zodiacum circulum hanc solis annuam viam appellabant. Anaximander [1]) (ab aliis autem Pythagoras) [2]) dicitur primus huius zodiaci circuli obliquitatem ad circulum aequinoctialem observasse. Per haec signa, quae memoravimus, autiqui solis locum in caelo definire coeperunt. Nos hodie 21° die mensis Iunii solem in Geminis videmus, 22° die Decembris in Sagittario; Democriti tamen tempore 21° die Junii sol in Cancro videbatur, 21° die Decembris autem in Capricorno, 20° die Martis in Ariete, 23° Septembris in Libra, quae duo postrema signa inter se opposita in iis punctis iacebant, ubi circulus Zodiacus circulum aequinoctialem secat: Cancri signum igitur inveniebatur, ubi Zodiacus maximo intervallo septentrionem versus a circulo aequinoctiali distabat; Capricornus ubi maxime meridiem versus Zodiacus vergebat. Quaestio autem, quam Democritus solvere conatur, est haec: quî fit, ut sol inde a 20° die Martis, ubi in Ariete est, in circulo aequinoctiali, usque ad 21um diem Iunii, per Taurum et Geminos, adscendat ad Cancrum, deinde, usque ad 23um diem Septembris, descendat per Leonem et Virginem usque ad Libram, in circulo aequinoctiali sitam, tum rursus descendens per Scorpionem et Sagittarium 21° die Decembris ad Capricornum, in brumali flexu situm, veniat, denique rursus adscendens per Aquarium et Pisces, 20° die Martis rursus in Ariete, in puncto aequinoctiali conspiciatur. Hoc phaenomenon ita solvit. Medio in mundo terra quiescit; ab ea distant deinceps auctis intervallis, luna, sol, fixa sidera, qualia sunt Zodiaci [3]). Cum autem to-

---

1) Plin. Hist. nat. II. 8, 31.

2) Plut. plac. II. 12.

3) Accuratissime Pseudo-Origenes in Philosophumenis (quem locum Zellerus I,

tum caelum vertatur, sidera cum eo quoque circumducuntur, sed ea ratione, ut „quanto quaeque magis sint terram sidera propter, tanto possint minus cum caeli turbine ferri: evanescere enim rapidas illius et acris imminui supter viris, ideoque relinqui paulatim solem cum posterioribu' signis, inferior multo quod sit quam fervida signa" (623—28). Cum sidera fixa longius distent a terra quam sol atque luna, necesse est, si eodem tempore suam quodque viam percurrant, astra fixa multo celerius circumducantur quam sol et luna, quoniam multo longiores sunt circuli, quos describunt. Haec pro ratione distantiae accrescens celeritas tamen non ea est, quam Democritus vult: etiam praeter hanc rationem celeritas siderum minuitur quanto magis sunt terram propter, ita ut non eodem tempore circuitum conficiant, sed plus temporis impendant ea, quae propiora sint. Quae autem causa sit huius phaenomeni non memoratur: nam quod dicitur, „imminui supter viris", id nihil explicat. — Ergo cum sol minus celeriter circumducatur quam sidera fixa, retrogradum motum habere videtur. Stellae omnes (secundum Democritum) ab ortu in occasum feruntur [1]): ergo sol per duodecim signa ab occasu in orientem ferri videbitur. Nam fac solem esse in Cancro, id est, positum esse in linea, quae a Cancri constellatione ad terram ducta cogitari potest: si aeque celeriter atque astra fixa circumduceretur, post mensem in eodem signo inveniretur: cum tamen minus celeriter circumferatur, post mensem, coelo ab oriente in occidentem se volvente, sol non amplius in cancro erit, sed relictus esse videbitur et in loco magis orientem versus, in Leone, invenitur. Idem deinceps sequentibus mensibus fiet, itaque post annum duodecim illa signa ab occasu ad ortum percurrisse sol videbitur. Eadem ratio est lunae motus. — Dubito num ipse Lucretius hanc „Democriti sanctam viri sententiam" perspexerit. Nam primum vs. 614—17 minime sunt dilucidi et accurati. Etiamsi

pag. 801. not. 3, non laudat) Democriti sententiam affert: „εἶναι τὴν μὲν σελήνην κάτω, ἔπειτα τὸν ἥλιον, εἶτα τοὺς ἀπλανεῖς ἀστέρας· τοὺς δὲ πλανήτας οὐδ' αὐτοὺς ἔχειν ἴσον ὕψος." Sic etiam Lucretius. Reliqui loci ex eo explicantur: D. L. IX. 33 (Leucippi), Plut. plac. II, 15, 3, etc. apud Zellerum.

1) Plut. plac. II. cap. 16.

praeterimus eum accuratius debuisse dicere: „atque inde revertens, *per partes rursus aestivas*, cancri se ut vertat metas ad solstitiales", tamen tota explicatio intellegi non potest, nisi primum dicatur circulum Zodiacum obliquitatem habere ad circulum aequinoctialem: nam cum exposuerit poeta solem relinqui cum posterioribus signis, nondum perspicuum est quî *revertere* (616) possit *sol*, neque se vertere ad *metas solstitialis.* De hac Zodiaci obliquitate tamen ne verbum quidem dicit.

In Democriti fragmentis haec doctrina non invenitur: haec tamen non est causa cur ab eo eam abiudicemus, praesertim cum nihil insit, quod eius doctrinae repugnet, atque eum in has doctrinas diligenter incubuisse appareat ex eius Fragmentis Astronomicis apud Müllachium I, pag. 368, 69.

Haec Democriti explicatio maxime Lucretio placuisse videtur, quod cum ex eo, quod uberius eam exposuit, tum ex illo „cum primis" (vs. 621) apparet. Sed tamen alia ratione eos flexus (*τροπάς*) fieri posse, negare non potest. Nam ut „diversis nubila ventis diversas ire in partis inferna supernis" (vs. 644) videmus, sic etiam fieri potest ut alternis ventis, temporibus certis, sol et luna modo ex aestivis signis ad brumalem flexum, modo ex „gelidis frigoris umbris" ad metam solstitialem ferantur.

Lunae et solis motus ergo uni eidemque causae tribuuntur, quod Epicuro quoque placet. Quî tamen Lucretius stellas addere possit (vs. 643), non intellegimus. Ipsa enim explicatio exponere debet solis lunaeque motum a ceterorum siderum motibus discrepantem ita, ut retrogradus esse videatur. Fortasse hoc nomine stellarum Lucretius hic planetas sive errantia sidera notat, quorum motus quoque a ceterorum discrepant. Etiam fieri potest, ut Lucretius hoc vocabulum in eo nexu apud Epicurum, e quo procul dubio hanc quoque doctrinam hausit, invenerit. Auctor enim huius doctrinae est Anaximenes, qui secundum Stobaeum [1]) docuit *ὑπὸ πεπυκνωμένου ἀέρος καὶ ἀντιτύπου ἐξωθούμενα τὰ ἄστρα τὰς τροπὰς ποιεῖσθαι*: idem Plutarchus [2]) refert,

---

[1]) I, 524.

[2]) Plac. II, 23.

uterque in capite, ubi *περὶ τροπῶν ἡλίου* agitur. Itaque apud Anaximenem quoque *τροπαί* stellis tribuuntur: Epicurus eius doctrinam referens fortasse idem fecit et Lucretius eum secutus est [1]). Paucitate et brevitate fragmentorum impedimur quominus Epicurea cum poetae verbis componamus, sed tamen eum simile quid docuisse et Lucretium ex eius scriptis hausisse videbis ex D. L. X. 93: *τροπὰς ἡλίου καὶ σελήνης ἐνδέχεται μὲν γίνεσθαι κατὰ λόξωσιν οὐρανοῦ, οὕτω τοῖς χρόνοις κατηναγκασμένου.* *Κατὰ λόξωσιν οὐρανοῦ* idem est atque *κατὰ τὴν λόξωσιν τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου.* Praecipua causa, quam Lucretius in praecedentibus versibus praetermisit, ut iam vidimus, ab Epicuro hîc memoratur; desideratur tamen reliqua pars explicationis; videtur praeterea opinatus esse Epicurus caelum vetustate vel simili causa (*τοῖς χρ. κατην.*) eam obliquam posituram nactum esse. Deinde *ὁμοίως δὲ καὶ κατ' ἀέρος ἀντέξωσιν* explicari potest illud phaenomenon. Difficile est discernere num aer soli obsistat sic ut solis quam stellarum tardiorem motum faciat, an vero ita, ut impediat quominus sol flexum brumalem et metam solstitialem transgrediatur: neutra tamen explicatio cum Lucretii secunda congruit. Denique duae rationes, quas praeterea Epicurus probat, apud poetam non inveniuntur.

Solis ortus et occasus itidem pluribus modis fieri possunt [2]): occasus aut quia longo cursu languidus sol lumina sua extinguit [3]), „aut quia sub terras cursum convortere cogit vis eadem, supra quae terras pertulit orbem" (654,55); aurora vero aut quia sub terras revertens rursus idem sol caelum accendit, „aut quia conveniunt ignes et semina multa confluere ardoris consuerunt tempore certo, quae faciunt solis *nova* semper lumina gigni." Quod certo

[1]) Cf. Zell. die Phil. der Gr. 1, 228 not. 1, cui tamen concedere non possumus, in iis locis non sermonem esse de iis, quae vulgo *τροπαὶ* vocantur, phaenomenis.

[2]) Vs. 650—80.

[3]) Est doctrina Heracliti: Plato Rep. VI, 498, A: *πρὸς δὲ τὸ γῆρας ἐκτὸς δή τινων ὀλίγων ἀποσβέννυνται πολὺ μᾶλλον τοῦ Ἡρακλειτείου ἡλίου, ὅσον αὖθις οὐκ ἐξάπτονται.* Alex. Aphrod. ad Arist. Meteor. II, 2. 355, a, 12: *οὐ μόνον, ὡς Ἡράκλειτός φησι, νέος ἐφ' ἡμέρῃ ἂν ἦν, καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἄλλος ἀπτόμενος, τοῦ πρώτου ἐν τῇ δύσει σβεννυμένου.*

tempore id fit, mirabile non est, quoniam multa certis temporibus fieri videmus. Idem Epicurus dicit, minus pulcris tamen verbis [1]): *ἀνατολαὶ καὶ δύσεις ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων καὶ κατ' ἄναψιν γίνεσθαι δύνανται καὶ κατὰ σβέσιν, τοιαύτης οὔσης περιστάσεως* (qua extingui et accendi possit: vs. 660, 61) . . . . . *κατ' ἐμφάνειαν θ' ὑπὲρ γῆς καὶ πάλιν ἐπιπρόσθησιν τὸ προειρημένον δύναιτ' ἂν συντελεῖσθαι.*

Eadem haec postrema hypothesis explicare potest, cur dies crescant et minuantur, cum impares sint circuli partes, quas sol supra terram describat et impares quoque quae sub terra circuli iaceant partes, ea ratione, ut partes sub terra et partes superiores deinceps circulos totos constituant. Cum autem sol eo venit, ubi signifer orbis vel Zodiacus secat circulum aequinoctialem, quod punctum „anni nodum" appellat Lucretius, (non memorat tamen duos esse eiusmodi nodos; *id signum* dicit vs. 687 pro: *iis signis*), tum „propter signiferi posituram totius orbis", qui ita est positus, ut pari intervallo septentrionem versus de circulo aequinoctiali declinet atque meridiem versus, circuli partes supra terram et infra sitae sunt pares, pares quoque noctes diesque [2]). — Dies crescere et minui etiam inde explicari potest, quod hiberno tempore crassior est certis in partibus aer itaque solem impedit, quominus emergat ad ortus, aut etiam quia alternis partibus anni ignis semina, de quibus supra sermo erat, tardius vel citius confluere consuerunt [3]). Prius placitum Anaximenis esse videtur, quod e loco supra (pag. 130) laudato patet, cum quo conferenda verba Plutarchi [4]): *καθάπερ Ἀναξιμένης ὁ παλαιὸς ᾤετο, μήτε τὸ ψυχρὸν ἐν οὐσίᾳ μήτε τὸ θερμὸν ἀπολείπωμεν, ἀλλὰ πάθη κοινὰ τῆς ὕλης ἐπιγινόμενα ταῖς μεταβολαῖς· τὸ γὰρ συστελλόμενον αὐτῆς καὶ πυκνούμενον ψυχρὸν εἶναί φησι,*

---

[1]) D. L. X. 92.

[2]) Lucr. V, 680—95. Cum Munr. codicum lectiones contra Lachm. defendo. Fateor me non intellegere, quî propter signiferi orbis obliquam posituram, i. e. propter obliquitatem zodiaci, sol flatus aquilonis et austri distinere possit medio cursu, quod Lachm. vult.

[3]) Vs. 696—704.

[4]) Pr. frig. 7, 3. pag. 947.

τὸ δὲ ἀραιὸν καὶ τὸ χαλαρὸν (οὕτω πως ὀνομάσας καὶ τῷ ῥήματι) θερμόν. Alterum Heraclito tribuendum est. Docuit enim evaporationes ex terra fieri et mari, alias quidem lucidas et liquidas, alias vero occultas. A lucidis ignem, a reliquis humorem incrementa capere. Priores illae sunt ignes, quos Lucretius memorat vs. 660 et 702, qui quotidie novum solem efficiunt [1]), alterae solem occidentem extinguunt. Porro dicit diem et noctem et menses et tempestates et annos *secundum evaporationes varias* fieri, quod de aestate et hieme sic explicat: „*καὶ ἐκ μὲν τοῦ λαμπροῦ τὸ θερμὸν αὐξανόμενον θέρος ποιεῖν, ἐκ δὲ τοῦ σκοτεινοῦ τὸ ὑγρὸν πλεονάζον χειμῶνα ἀπεργάζεσθαι. ἀκολούθως δὲ τούτοις καὶ περὶ τῶν ἄλλων αἰτιολογεῖ* [2]). Lucretium tamen ex Epicuri scriptis haurire potuisse conici potest ex D. L. X. 98, etsi haec ob brevitatem minus sunt dilucida: *μήκη νυκτῶν καὶ ἡμερῶν παραλλάττειν καὶ παρὰ τὸ ταχείας ἡλίου κινήσεις γίνεσθαι καὶ πάλιν βραδείας ὑπὲρ γῆς παρὰ τὰ μήκη τόπων παραλλάττοντα· καὶ τόπους τινὰς περαιοῦσθαι τάχιον ἢ καὶ βραδύτερον, ὡς καὶ παρ' ἡμῖν τινα θεωρεῖται, οἷς συμφώνως δεῖ λέγειν ἐπὶ τῶν μετεώρων.*

Formae sive mutationes lunae his possunt modis explicari. Primum luna pilae similis et inter terram et solem posita mutuata a sole luce potest nitere, et pro distantia a sole varias formas praebere, donec e regione soli est opposita et pleno lumine fulget [3]), quam explicationem imprimis Democrito tribuendam esse censemus. Etiam fieri potest, ut proprio lumine niteat, cum formae eius explicari possint eo, quod obscurus alius globus circum lucidam lunam se volvens modo varias partes, modo totam, modo nihil obscurat, quod corpus tamen videre non possumus quia lumine caret [4]). Tertio loco Berosi doctrina vera esse potest docentis, ut alii quoque Chaldaei [5]), lunam esse globum, cuius altera pars sit lucida, altera autem obscura, cum

---

[1]) Arist. Meteor. II, 2, 355, a, 12.

[2]) Diog. L. IX, 1, 9, 10, 11.

[3]) Vs. 705—14.

[4]) Vs. 715—19.

[5]) Cleomedis lib. 2 cap. 4. Vitruvii lib. 9 cap. 4. Cf. Gassendi Animadv. tom. II. pag. 862.

globi revolutione modo aliam, modo aliam formam videamus [1]). Denique Heracliti opinio refelli non potest, qui docet „semper novam lunam creari ordine formarum certo certisque figuris" [2]). Cum tamen obici posset mirum esse eiusmodi certum definitumque ordinem, poeta monet, ut antea iam fecit [3]), multa certo tempore certoque ordine a natura creari. Epicurus in epistola ad Pythoclem paucis tantum verbis hunc locum attingit [4]): *κενώσεις τε σελήνης καὶ πάλιν συμπληρώσεις καὶ κατὰ στροφὴν τοῦ σώματος τούτου δύναιντ' ἂν γίνεσθαι* (ad Lucr. tertiam explicationem haec sunt referenda) *καὶ κατὰ σχηματισμοὺς ἀέρος ὁμοίως* (quod Lucr. non memorat), *ἔτι τε καὶ κατ' ἐπιπροσθήσεις καὶ κατὰ πάντας τρόπους, καθ' οὓς καὶ τὰ παρ' ἡμῖν φαινόμενα ἐκκαλεῖται εἰς τὰς τούτου τοῦ εἴδους ἀποδόσεις, ἐὰν μή τις τὸν μοναχῇ τρόπον κατηγαπηκὼς τοὺς ἄλλους ὡς κενοὺς ἀποδοκιμάζῃ, οὐ τεθεωρηκὼς τί δυνατὸν ἀνθρώπῳ θεωρῆσαι καὶ τί ἀδύνατον, καὶ διὰ τοῦτ' ἀδύνατα θεωρεῖν ἐπιθυμῶν,* (hoc idem Lucr. Chaldaeis obicit, vs. 727 seqq.) *ἔτι τ' ἐνδέχεται τὴν σελήνην ἐξ ἑαυτῆς ἔχειν τὸ φῶς, ἐνδέχεται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ ἡλίου.*

„Solis item quoque defectus lunaeque latebras pluribus e causis fieri tibi posse putandumst; nam cur luna queat terram secludere solis lumine —, obiciens caecum radiis ardentibus orbem: tempore eodem aliut — corpus, quod cassum labatur lumine semper, facere id non posse putetur"? [5]). Harum prior opinionum Platonis est et Aristotelis et Stoicorum, teste Plutarcho [6]), haec verba referente de lunae „latebris": „*τὰς δὲ ἐκλείψεις* dicunt lunam efficere *εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἐμπίπτουσαν, μεταξὺ μὲν ἀμφοτέρων τῶν ἀστέρων γινομένης, μᾶλλον δὲ τῇ σελήνῃ ἀντιφραττομένης*, id est, cum in umbram

---

[1]) Vs. 720—30.

[2]) Vs. 730—50. Plut. plac. II, cap. 28: *Ἡράκλειτος τὸ αὐτὸ πεπονθέναι τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην.*

[3]) Vs. 669—679.

[4]) Paragr. 94. Uberius in perdito libro XII *περὶ φύσεως*. Cf. 96.

[5]) Vs. 751—57.

[6]) Plac. II, 29.

terrae incidat, quae inter utrumque sidus (solem et lunam) se collocaverit vel potius lunae obstet (tamquam integumentum et obstaculum est terra lunae, quae lucem a sole intercipit). Procul dubio de solis defectu similem docebant doctrinam. Lucretius autem putat, congruenter cum secunda lunae mutationum explicatione, nihil impedire, quominus pro terra aut luna aliud corpus obscurum inter lunam et solem aut terram et solem se sistere solisque lumen intercipere statuamus. Ex Epicuri mente eum ratiocinari videre licet ex huius epistola ad Pythoclem: *ἔκλειψις ἡλίου καὶ σελήνης δύναται μὲν γίνεσθαι καὶ κατὰ σβέσιν, καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν τοῦτο θεωρεῖται γινόμενον· καὶ δὴ καὶ κατ' ἐπιπρόσθησιν ἄλλων τινῶν, ἢ γῆς ἢ οὐρανοῦ ἤ τινος ἑτέρου τοιούτου. καὶ ὧδε τοὺς οἰκείους ἀλλήλοις τρόπους συνθεωρητέον καὶ τὰς ἅμα συγκυρήσεις τινῶν ὅτι οὐκ ἀδύνατον γίνεσθαι.* (*'Εν δὲ τῇ δυωδεκάτῃ περὶ φύσεως ταῦτα λέγει, καὶ τὸν ἥλιον ἐκλείπειν σελήνης ἐπισκοτούσης, σελήνην δὲ τοῦ τῆς γῆς σκιάσματος· ἀλλὰ καὶ κατ' ἀναχώρησιν* [1]). Quae verba etsi parum sunt perspicua, hoc tamen nobis ostendunt, Lucretii secundam explicationem, quae hisce versibus Heracliti opinionem exprimit: „solque suos etiam dimittere languidus ignis tempore cur certo nequeat, recreareque lumen, cum loca praeteriit flammis infesta per auras, quae faciunt ignis interstingui atque perire"? — convenire cum Epicuri prima ratione. — Philosophi, quos supra nominavimus, Plato, Aristoteles, Stoici, Mathematici *συμφώνως* putabant lunam, simul cum sole currentem, ac circum illustratam, menstruas occultationes efficere [2]), quippe cum quoque mense terra inter solem et lunam se collocet, neque tamen ita, ut in una recta linea haec tria sint. Nam non quoque mense fit solis lunaeque defectus, cum via, quam luna percurrit, oblique

---

1) D. L. X. 96, 97. Fateor me non intellegere quid significet illud *κατ' ἐπιπρόσθησιν* (codd. plur. *ἐπιπροσθέτησιν*) *τοῦ οὐρανοῦ*. *'Εκλείψεις ἡλίου καὶ σελήνης* debent explicari: pro *οὐρανοῦ* exspectes *σελήνης*, terra (terrae umbra) aut luna obicitur soli.

2) Plut. plac. II, 29: *Πλάτων, 'Αριστοτέλης, οἱ Στωϊκοί, οἱ Μαθηματικοὶ συμφώνως τὰς μὲν μηνιαίους ἀποκρύψεις, συνοδεύουσαν αὐτὴν ἡλίῳ, καὶ περιλαμπομένην ποιεῖσθαι, τὰς δὲ ἐκλείψεις, κ. τ. ἑ.*

posita sit ad terrae circulum orbemque, quo fit ut raro tantum terrae luna „rigidas coni perlabatur umbras". Haec si tenes, intellegis quid Lucretius velit, cum congruenter cum prima solis defectus explicatione, sic lunae defectum explicet: „et cur terra queat lunam spoliare vicissim lumine et oppressum solem super ipsa tenere, menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras; tempore eodem aliut nequeat succurrere lunae corpus vel supra solis perlabier orbem, quod radios interrumpat lumenque profusum?" [1]) Vides minime accurate poetam canere menstruam lunam rigidas terrae coni perlabi umbras, et vs. 765, 66 significare, corpus illud obscurum, noctu, cum sol est sub terra, aut inter lunam et terram („succurrere lunae") aut inter terram et solem („supra solis orbem") ita positum esse debere, ut luna per eius umbram volvatur. — Altera lunae defectus explicatio, 768 seqq., congruit cum iis, quae de solis defectu dicuntur, 758 seqq., ad mentem Heracliti, ut opinor.

Hîc partis astronomicae est finis. Cum fide et pietate poeta vestigia magistri pressit: non omnia, quae hic protulit, ab eo sunt explicata, sed in omnibus magistro auscultavit dicenti: *ἡ θεία φύσις πρὸς ταῦτα* (ad meteora explicanda) *μηδαμῇ προςαγεσθω, ἀλλ' ἀλειτούργητος διατηρείσθω καὶ ἐν* [*τῇ*] *πάσῃ μακαριότητι, ὡς εἰ τοῦτο μὴ πραχθήσεται, ἅπασα ἡ περὶ τῶν μετεώρων αἰτιολογία ματαία ἔσται.* Cavit ne sibi contingeret *καθάπερ τισὶν ἤδη ἐγένετο οὐ δυνατοῦ τρόπου ἐφαψαμένοις, εἰς δὲ τὸ μάταιον ἐκπεσοῦσι τῷ καθ' ἕνα τρόπον οἴεσθαι γίνεσθαι μόνον τούς τ' ἄλλους ἅπαντας τοὺς κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἐκβάλλειν, εἴς τε τὸ ἀδιανόητον φερομένοις καὶ τὰ φαινόμενα ἃ δεῖ* [*σημεῖα*] *ἀποδέχεσθαι μὴ δυναμένοις συνθεωρεῖν* [2]).

Eo cum maxime meriti sunt Epicurei de philosophia, quod ex una materia et uno atomorum motu omnia explicare conabantur et in tota naturae investigatione unam rationem secuti sunt, cum sensibus solis fidem haberent. Cum ita perpetuo sibi constare conati sint et omnibus instrumentis, quibus nostrae aetatis astro-

---

[1]) Vs. 762—67.

[2]) D. L. X, 97.

logi fere omnes caeli latebras possunt perlustrare, carerent, neque in rebus mathematicis admodum versati essent, non potuerunt e tot variis rationibus doctrinisque, ceteras excludentes, unam solam probare, si quidem reliquae rationi et notis phaenomenis nihilo magis repugnabant [1]. Ea constantia tamen, ut vidimus, non prohibuit, quominus aliam explicationem alii praeferrent, si modo nulla excluderetur. Scientiae rationem et principium respicienti, inter antiquos Epicurei proximi nostrae aetatis scientiae et quasi affines videri debent [2]: quin imo in phaenomenis explicandis interdum multorum saeculorum studia praesentiebant.

Quoniam de caelestibus corporibus satis disputavit poeta, nunc redit „ad mundi novitatem et mollia terrae arva, novo fetu quid primum in luminis oras tollere et incertis crerint committere ventis" [3].

„Merito maternum nomen adepta terra" est, „e terra quoniam sunt cuncta creata". Primum plantae sunt ortae, tum „mortalia saecla", nempe omnium generum animalia. Inter quae rursus aves primae „ova relinquebant exclusae tempore verno", deinde animal omne, „quod in magnis bacchatur montibu' passim", tum humanum genus [4]. Modum, quo mortalia saecla terra prodidit sic depinxit poeta: „multus enim calor atque umor superabat in arvis „(avibus natis); hoc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur, „crescebant uteri terram radicibus apti; quos ubi tempore maturo „patefecerat aestus infantum, fugiens umorem aurasque petessens, „convertebat ibi natura foramina terrae et sucum venis cogebat fun-

---

[1]) Nimis praefracte Zellerus loqui videtur, cum Epicurum hanc rationem ad totam physicam doctrinam adhibuisse dicat: So ausführlich sich daher auch schon Epikur selbst mit der Physik beschäftigte, so wenig hielt er doch eine Sicherheit der naturwissenschaftlichen Ergebnisse im Einzelnen für nothwendig, oder auch nur für möglich, cett. III, 1, pag. 368. Cum de meteoris agit Epicurus nullum philosophum redarguit, nisi qui diis tribuunt, quod ipsa natura efficit: in ceteris physicae partibus tamen eandem rationem non sequitur; plures philosophos eum refellisse iam demonstravimus. In iis rebus summa evidentia quaerenda est.

[2]) Renan, Dialogues philos. pag. 54: „l'école épicurienne, la grande école scientifique de l'antiquité."

[3]) Vs. 780 seqq.

[4]) Vs. 783 seqq., 823 seqq.

„dere apertis consimilem lactis, sicut nunc femina quaeque cum „peperit, dulci repletur lacte, quod omnis impetus in mammas „convertitur ille alimenti. terra cibum pueris, vestem vapor, herba „cubile praebebat multa et molli lanugine abundans. at novitas „mundi nec frigora dura ciebat nec nimios aestus nec magnis „viribus auras. omnia enim pariter crescunt et robora sumunt" [1]. Terra tamen non perpetuo eadem mansit; non enim „manet ulla sui similis res". Desiit parere, „ut mulier spatio defessa vetusto" [2]. — Haec poematis pars prosequitur doctrinam de mundi ortu vs. 416—508 expositam, quam vidimus ab Epicuro esse sumptam. Quod iam argumento esse posset, cur hanc partem quoque ex Epicuri scriptis haustam esse putaremus. Sed plura sunt indicia. Diodorus Siculus [3] enim refert fuisse initio „τὴν γῆν πηλώδη καὶ παντελῶς ἁπαλήν. ταυτὴν δὲ τὸ μὲν πρῶτον τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καταλάμψαντος πῆξιν λαβεῖν, ἔπειτα διὰ τὴν θερμασίαν ἀναζυμουμένης τῆς ἐπιφανείας, συνοιδῆσαί τινα τῶν ὑγρῶν κατὰ πολλοὺς τόπους, καὶ γενέσθαι περὶ αὐτὰ σηπεδόνας ὑμέσι λεπτοῖς περιεχομένας (cf. vs. 805—8), ὅπερ ἐν τοῖς ἕλεσι καὶ τοῖς λιμνάζουσι τῶν τόπων ἔτι καὶ νῦν ὁρᾶσθαι γινόμενον, ἐπειδὰν τῆς χώρας κατεψυγμένης ἄφνω διάπυρος ὁ ἀὴρ γένηται, μὴ λαβὼν τὴν μεταβολὴν ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον (797, 98). ζωογονουμένων δὲ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τὸν εἰρημένον τρόπον. τὰς μὲν νύκτας λαμβάνειν αὐτίκα τὴν τροφὴν ἐκ τῆς πιπτούσης ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ὁμίχλης, τὰς δ' ἡμέρας ὑπὸ τοῦ καύματος στερεοῦσθαι, τὸ δ' ἔσχατον, τῶν κυοφορουμένων τὴν τελείαν αὔξησιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμένων διακαυθέντων τε καὶ περιρραγέντων (809 seqq. *quos ubi tempore maturo patefecerat aestus*, cett.) ἀναφυῆναι παντοδαποὺς τύπους ζώων· τούτων δὲ τὰ μὲν πλείστης θερμασίας κεκοινωνηκότα, πρὸς τοὺς μετεώρους τόπους ἀπελθεῖν, γενόμενα πτηνά (801 seqq.), τὰ δὲ γεώδους ἀντεχόμενα συγκρίσεως ἐν τῇ τῶν ἑρπετῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιγείων τάξει καταριθμηθῆναι· τὰ

---

[1] Vs. 806—20.

[2] Vs. 821—36.

[3] Lib. I, cap. 7.

δὲ φύσεως ὑγρᾶς μάλιστα μετειληφότα πρὸς τὸν ὁμογενῆ τόπον συνδραμεῖν, ὀνομασθέντα πλωτά. τὴν δὲ γῆν ἀεὶ μᾶλλον στερεουμένην ὑπό τε τοῦ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καὶ τῶν πνευμάτων, τὸ τελευταῖον μηκέτι δύνασθαι μηδὲν τῶν μειζόνων (800) ζωογονεῖν, ἀλλ' ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα μίξεως ἕκαστα γεννᾶσθαι τῶν ἐμψύχων· ἔοικε δὲ περὶ τῆς τῶν ὅλων φύσεως οὐδ' Εὐριπίδης διαφωνεῖν τοῖς προειρημένοις, μαθητὴς ὢν Ἀναξαγόρου τοῦ φυσικοῦ. ἐν γὰρ τῇ Μελανίππῃ τίθησιν οὕτως·

ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία.
ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὓς θ' ἅλμη τρέφει,
γένος τε θνητῶν.

Haec quoniam optime Lucretianos versus illustrant, multa etiam distinctius referunt, tota transscripsimus. Diodorus procul dubio ex Epicuri (vel Democriti, e quo Epicurus sua sumpserit) scriptis hausit. Dicit enim in capite praecedente: οἱ δὲ γεννητὸν καὶ φθαρτὸν εἶναι νομίσαντες (τὸν κόσμον) ἔφησαν ὁμοίως ἐκείνοις τοὺς ἀνθρώπους τυχεῖν τῆς πρώτης γενέσεως ὡρισμένοις χρόνοις: tum sequuntur verba laudata. Quod si iam addubitas, ecce locus Censorini [1]), qui nomine laudat Epicurum: „nec longe secus „Epicurus. Is enim credidit limo calefactos uteros nescio quos, „radicibus terrae cohaerentes primum increvisse, et infantibus ex „se editis ingenitum lactis humorem natura ministrante prae„buisse: quos ita educatos et adultos genus hominum propagasse." Denique Lactantius [2]) eos versus laudans addit: „illius (Epicuri) „enim sunt omnia, quae delirat Lucretius."

Supra vs. 799 poeta iam dixit non esse mirum, si, nova cum omnia essent, multo quam nunc maiora creavit animalia terra. Vs. 837 seqq. amplius de hoc loco agit. „Multaque tum tellus etiam „portenta creare conatast mira facie membrisque coorta, andro„gynum, interutraque nec utrum, utrimque remotum, orba pe„dum partim, manuum viduata vicissim, muta sine ore etiam,

[1]) De die natali, cap. 2.
[2]) De opif. Dei, c. 6.

„sine voltu caeca reperta, vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu, nec facere ut possent quicquam nec cedere quoquam nec vitare malum nec sumere quod foret usus. Cetera de „genere hoc monstra ac portenta creabat, ne quiquam, quoniam „natura absterruit auctum, nec potuere cupitum aetatis tangere „florem nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.'' Haec monstra sunt quasi conatus creatricis naturae, conatus qui imperfecti erant et hanc ob rem interire debebant. Ut atomi cadentes non statim ad hunc mundum efficiendum confluxerunt, sed post innumeros congressus demum eiusmodi tandem complexio orta est, quae aliquamdiu durare poterat et motus inire ad omnia creanda aptos [1], sic ipse hic mundus non statim opera perfecta et absoluta fecit, sed primum quasi inania fecit tentamina. „Multa videmus enim rebus concurrere debere, ut propagando „possint procudere saecla'' (849). Cave tamen ne putes naturam monstra potuisse in lucem prodere ut Centauros, Scyllas, Chimaeram. Nam quae prima fecit erant imperfecta, neque tamen mixta e membris plurium animalium, quod rationi repugnat. „Nam „quod multa fuere in terris semina rerum tempore quo primum „tellus animalia fudit, nil tamen est signi mixtas potuisse creari „inter se pecudes compactaque membra animantum'' [2]. Praeter haec monstra ac portenta, quae muudus „creabat ne quiquam quoniam natura absterruit auctum'', multa alia animalium genera quoque interierunt nec potuerunt „propagando procudere prolem.''

Omnia, quae in vitae discrimine dolo aut virtute aut celeritate aut robore aut quovis modo non poterant vitam defendere, interibant: nonnulla, etsi his omnibus carent, ab hominibus utilitatis causa tamen

---

[1]) V. 187: namque ita multa modis multus primordia rerum
ex infinito iam tempore percita plagis
ponderibusque suis consuerunt concita ferri
omnimodisque coire atque omnia pertemptare,
quaecumque inter se possent congressa creare,
ut non sit mirum, si in talis dispósituras
deciderunt quoque et in talis venere meatus,
qualibus haec rerum geritur nunc summa novando.

[2]) Vs. 878—925.

defenduntur et sic vitam servare possunt [1]). — Mira est congruentia huius loci cum nostrae aetatis virorum doctorum placitis: quod hodie innumeris investigationibus et experimentis probatum esse videtur, ab antiquis iam philosophis rationis solo auxilio vel potius intuitu quodam perspicue tradebatur. Epicurus ad Pythoclem scripsit [2]): *ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτῶν πραγμάτων διδαχθῆναι τε καὶ ἀναγκασθῆναι · τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα καὶ ὕστερον ἐπακριβοῦν καὶ προςεξευρίσκειν*. Pedetentim progreditur natura: quod imperfectum et debile est eo ipso durare non potest, quae fortia et perfecta quodammodo sunt, manent: tum hominis ratio naturae, quae magna stat praedita culpa, [3]) auxilio venit.

Omni tempore poetae lubenter depinxerunt primorum hominum vitam, quam beatam, omnibus curis expertem, laudabant. Eiusmodi aurea quae dicitur aetas in Epicuri doctrinam non quadrat, ut facile quisque intellegit; sed tamen Lucretius summam operam impendit, ut primam aetatem ex Epicuri mente pulcre describeret. Cum amore, ut ita dicam, aliorum poetarum exemplo stimulatus, sequentes versus scripsit. Quos ut melius cum Epicuri doctrina conferas poetaque merita agnoscas, magistri descriptionem, qualem Diodorus Siculus eam refert, [4]) praemittemus. *Τοὺς δὲ ἐξ ἀρχῆς γεννηθέντας τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας, σποράδην ἐπὶ τὰς νομὰς ἐξιέναι καὶ προςφέρεσθαι τῆς τε βοτάνης τὴν προςηνεστάτην καὶ τοὺς αὐτομάτους ἀπὸ τῶν δένδρων καρπούς · καὶ πολεμουμένους μὲν ὑπὸ τῶν θηρίων, ἀλλήλοις βοηθεῖν ὑπὸ τοῦ συμφέροντος διδασκομένους, ἀθροιζομένους δὲ διὰ τὸν φόβον, ἐπιγινώσκειν ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν τοὺς ἀλλήλων τύπους . . . τοὺς οὖν πρώτους τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου, ἐπιπόνως διάγειν, γυμνοὺς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς ἀήθεις, τροφῆς δ᾽ἡμέρου παντελῶς ἀνεννοήτους . καὶ γὰρ τὴν συγκομιδὴν τῆς ἀγρίας τροφῆς ἀγνοοῦντας, μηδεμίαν τῶν καρπῶν*

[1]) Vs. 855—77. Hi versus, ni fallimur, post sequentem periodum ponendi sunt, ne nexum interrumpant.

[2]) D. L. X, 75.

[3]) V. 195 seqq.

[4]) Lib. I, cap. 8

εἰς τὰς ἐνδείας ποιεῖσθαι παράθεσιν. Lucretius primum memorat genus humanum multo tum durius et fortius et robustius fuisse, cum durior, validior, recentior terra id creasset [1]. „Volgivago vitam tractabant more ferarum." Agriculturae imperitis „quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat sponte sua, satis id placabat pectora donum." Glandes, arbuta aliaque id genus fructus eos nutriebant. „At sedare sitim fluvii fontesque vocabant, ut nunc montibus e magnis decursus aquai clarigitat late sitientia saecla ferarum". Ignis, vestes, domus iis erant res ignotae. „Nec commune bonum poterant spectare, neque ullis moribus inter se scibant nec legibus uti". „Et Venus in silvis iungebat corpora amantum."

„Silvestria membra nuda dabant terrae, nocturno tempore capti, circum se foliis ac frondibus involventes." Tenebras non metuebant, „sed magis illud erat curae, quod saecla ferarum infestam miseris faciebant saepe quietem".

Rursus fatendum est omnino hanc doctrinam de primorum hominum moribus optime convenire cum clarissimorum nostrae aetatis doctorum repertis [2]. Ab omni mythologia prorsus alienus est poeta: cum terrore et metu, quibus antiqua religio homines affecit, simul omnes pulcras fabulas omniaque poetarum inventa de longa beataque vita primorum hominum abiecit. Homines eo tempore nihilo minus moriebantur quam nunc, partim a saevis animalibus devorati, cum auxilio armisque carerent, partim alias ob causas; mare tantum non tot homines morti obtulit atque nunc, quoniam ars nautica etiamtum ignota erat [3]. Διὸ καὶ πολλοὺς αὐτῶν ἀπόλλυσθαι κατὰ τοὺς χειμῶνας, διά τε τὸ ψῦχος καὶ τὴν σπάνιν τῆς τροφῆς [4]. Sed paulatim mores coeperunt excoli.

Casas sibi construxerunt homines, pellibus se induerunt, ignem invenerunt, familiam condiderunt: „tum genus humanum primum mollescere coepit", [5] amicitia animos mitigavit, „bona magnaque pars servabat foedera caste [6])".

---

[1] V. 931 seqq.

[2] Cf. Peschel, Völkerk. pag. 137 seqq.

[3] 988—1010.

[4] Diod. Sic. l. l.

[5] 1014.

[6] 1025.

Deinde metallorum usum invenerunt. Silvis combustis metalla liquefacta in terrae cavernam se collegerunt, unde homines facile metalla liquefacere didicerunt. Primum auri maximum erat pretium, mox cum viderent aes ad arma facienda aptius esse, aes magis quaerebatur: nunc rursus aurum pluris aestimatur [1]. Ferrum usurpabant ad arma telaque facienda, deinde ad agros colendos. Aes prius quam ferrum erat notum. Paullatim omnia belli instrumenta invenerunt. Multi etiam tauros, elephantos, sues, leones aliasque feras, quamquam vulgo frustra, usurpabant ad bella gerenda. Deinde vestes texuerunt postquam ferri usus innotuit, primum viri, postea feminae, „nam longe praestat in arte et sollertius est multo genus omne virile". Natura ipsa specimen dedit agri colendi, quod homines secuti sunt, inde varios diversosque fructus sibi paraverunt [2]. Cantum didicerunt ab avibus et zephyris. Sensim paullatimque vitam ornaverunt, saltationes, pulcras vestes aliaque invenientes. Sol atque luna tempora anni docuerunt. Tum urbes, divisiones terrae, naves, litterae, ars poetica secuta sunt, quae „usus et impigrae simul experientia mentis paulatim docuit pedetemtim progredientis" [3]. Eadem Epicurum docuisse verisimile fit Diodori Siculi verbis, quae sequuntur: 'Εκ δὲ τούτου κατ' ὀλίγον ὑπὸ τῆς πείρας διδασκομένους, εἴς τε τὰ σπήλαια καταφεύγειν ἐν τῷ χειμῶνι, καὶ τῶν καρπῶν τοὺς φυλάττεσθαι δυναμένους ἀποτίθεσθαι. γνωσθέντος δὲ τοῦ πυρὸς καὶ τῶν ἄλλων τῶν χρησίμων, κατὰ μικρὸν καὶ τὰς τέχνας εὑρεθῆναι, καὶ τἄλλα τὰ δυνάμενα τὸν κοινὸν βίον ὠφελῆσαι. καθόλου γὰρ πάντων τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ὑφηγουμένην οἰκείως τὴν ἑκάστου μάθησιν εὐφυεῖ ζώῳ καὶ συνεργοὺς ἔχοντι πρὸς ἅπαντα χεῖρας, καὶ λόγον καὶ ψυχῆς ἀγχίνοιαν. Ipsius Epicuri verba supersunt, quae idem testantur. Lucretius vs. 1020 ait primos homines foedera fecisse inter se ne se vicissim laederent, ne pueros et mulieres violarent, *aequum* esse omnes imbecillorum misereri: fuerunt tamen qui haec foedera non servarent, quibus ergo ius non esset. Epicurus autem ait in Ra-

---

1) 1241—80.

2) 1281—1378.

3) 1379—1457.

tarum Sententiarum XXXIII et XXXIV: *τὸ τῆς φύσεως δίκαιόν ἐστι σύμβολον τοῦ συμφέροντος εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους μηδὲ βλάπτεσθαι. Ὅσα τῶν ζῴων μὴ ἠδύνατο συνθήκας ποιεῖσθαι τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἄλληλα μηδὲ βλάπτεσθαι, πρὸς ταῦτα οὐθέν ἐστιν οὐδὲ δίκαιον οὐδ' ἄδικον, ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν ὅσα μὴ ἠδύνατο ἢ μὴ ἐβούλετο τὰς συνθήκας ποιεῖσθαι τὰς ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι* [1]).

Tres sunt loci in hac carminis parte, quos uberius tractat poeta: de sermonis origine, tum unde ignis usus ortus sit, denique de deorum cultus origine. Hae partes interrumpunt ordinem, quem supra secuti sumus et pro ratione ceterorum argumentorum nimis sunt longae. Hic rursus vestigia invenimus, quae doceant carmina non perfecta et elaborata esse a poeta. Procul dubio gravia haec argumenta poetae visa sunt, et hanc ob rem digna, quae copiosius exponerentur. Quod cum fecisset, tempus ei defuisse videtur ut in nexum ceterorum ea intexeret.

Fortasse etiam poeta in animo habuit totum opus reficere, cuius alterius editionis hae partes tres sint fragmenta, quod eo magis veri simile est quod quaedam illae continent, quae alibi quoque memorantur. In Diodori descriptione de sermonis origine post locum supra laudatam agitur, antequam ignis et vestium usus explicatur. Apud Lucretium 1028 seqq., ubi de linguae origine agitur, suo loco non scriptos esse apparet, cum vs. 1022 de sermone quodam iam loquatur et praesertim cum vs. 1012 iam matrimonium memoretur et vs. 1019 amicitia coepisse iungi dicatur. Reliquas duas partes cum toto opere non apte esse coniunctas apparet cum vs. 1091 „illud in his rebus tacitus ne forte requiras" hiatum quasi sarcire debeat et vs. 1161 seqq., ubi de deorum cultus origine agitur, cum praecedentibus, qui magnam conversionem in primorum hominum convictu narrant factam, nullum habeant omnino vinculum.

Linguae originem poeta sic narrat. Ut omnes ceteras artes, sic quoque „varios linguae sonitus natura subegit mittere, et utilitas expressit nomina rerum, non alia longe ratione atque ipsa videtur

---

[1]) D. L. X, 150.

protrahere ad gestum pueros infantia linguae, cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent . sentit enim vim quisque suam quo ad possit abuti"[1]). Impetu quodam natura coegit homines sonitus varios emittere, fere eodem modo quo vitulus iratus iam cornibus uti conatur, quae nondum exstant. At poeta non videt sic sane explicari posse, quî nostri infantes linguam discant, cum parentibus nati sint, qui lingua utantur, non tamen unde primi illi homines, qui a parentibus eam facultatem sive impetum non acceperint, impetum illum nacti sint. Putare aliquem linguam invenisse, nomina rebus distribuisse, ea homines didicisse, desipere est, quod argumentis firmis probat. Pro variis sensibus animalia varias voces emittere audimus, „quanto mortalis magis aecumst tum potuisse dissimilis alia atque alia res voce notare!" [2]). Hoc itaque apparet poetam in magno philosophorum de linguae origine certamine, quod inde a sophistarum tempore fuit, eorum partibus favere, qui linguam *φύσει* ortam esse docuerunt neque *θέσει*, ut reliquis placuit. Magnum tamen vitium, quod saepius iam poetae obiecimus, in hac argumentatione rursus reperitur: ad cardinem quaestionis raro penetrat et nunquam magistri placita emendat. Epicurus partim quidem melius rem exposuisse videtur. In epistola ad Herodotum enim legimus [3]): *καὶ τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ' αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων καθ' ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα ἰδίως τὸν ἀέρα ἐκπέμπειν, στελλόμενον ὑφ' ἑκάστων τῶν παθῶν καὶ τῶν φαντασμάτων, ὡς ἄν ποτε καὶ ἡ παρὰ τοὺς τόπους τῶν ἐθνῶν διαφορὰ εἴη· ὕστερον δὲ κοινῶς καθ' ἕκαστα ἔθνη τὰ ἴδια τεθῆναι πρὸς τὸ τὰς δηλώσεις ἧττον ἀμφιβόλους γίγνεσθαι ἀλλήλοις καὶ συντομωτέρως δηλουμένας· τινὰ δὲ καὶ οὐ συνορώμενα πράγματ' εἰςφέροντας τοὺς συνειδότας παρεγγυῆσαί τινας φθόγγους, ὧν τοὺς μὲν ἀναγκασθέντας ἀναφωνῆσαι, τοὺς δὲ τῷ λογισμῷ ἑπομένους κατὰ τὴν πλείστην αἰτίαν οὕτως ἑρμηνῦσαι.* Hic locus autem multa continet, quae apud poetam non inveniuntur, qui primae linguae originem, ut phaenomenon quoddam naturale ceteris neglectis explicare in animo habuit, egregie tamen ostendit Lucretium quae recta sapiat Epicuro debere.

[1]) Vs. 1028—33.
[2]) Vs. 1034—90.
[3]) D. L. X, 75, 76.

Non possumus quin Lucretium laudemus, cum perspexerit quanti faciendum sit ei, qui primos mores et cultum hominum scripturus sit, originem ignis eiusque utilitatem ad vitam excolendam noscere et hanc ob causam eum quoque locum tractaverit. Num consulto tamen poeta ceteris iam scriptis [1]) hanc partem huc collocaverit, postquam vs. 1011 ignem paratum esse iam dixerat, ut indicaret originem ignis post linguae originem exstitisse [2]), est quod dubites. Ignem dicit fortasse fulmina detulisse in terram, in hoc cum recentioribus viris doctis consentiens [3]); etiam fieri potuit ut aridi arboris rami ventis agitati terendo ignescerent, ut inter nostrae aetatis doctos Kuhnio placuit [4]). Cum ignis usus notus esset, sol, qui radiis suis fructus maturat, cibos sibi coquere homines docuisse dicitur [5]). In tota hac doctrina poeta quam optime sibi constat: ut casu quodam et fortuito totus hic mundus factus est, sic casu quoque et fortuito artes cognosci coeperunt: *ὑπὸ τῆς πείρας* homines docti sunt [6]). Ex Diodori verbis concludi posse mihi videtur Epicurum idem docuisse: non omnia revera apud eum invenimus, quae Lucretius canit, sed contra Diodorus multa ex Epicuro referre videtur, quae poeta non memorat: itaque utrumque ex eiusdem philosophi scriptis hausisse facile concedes, cum summa rei, ut ita dicam, apud utrumque eadem sit. Diodorus dicit homines primum fuisse *πυρὸς ἀήθεις, τροφῆς δ' ἡμέρου παντελῶς ἀνεννοήτους . . . . γνωσθέντος δὲ τοῦ πυρὸς καὶ τῶν ἄλλων τῶν χρησίμων, κατὰ μικρὸν καὶ τὰς τέχνας εὑρεθῆναι, καὶ τἄλλα τὰ δυνάμενα τὸν κοινὸν βίον ὠφελῆσαι · καθόλου γὰρ πάντων τὴν χρείαν αὐτὴν διδάσκαλον γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις, κ. τ. ε.* [7]).

Reliquam huius libri partem, quam nondum tractavimus, cum multa contineat ad moralem doctrinam spectantia, hic praetermittendam esse censemus, ut paucis prius verbis librum sextum cum Epicuri doctrina conferamus.

---

[1]) Cf. Lachm. comm. ad V. 1091.
[2]) Peschel. Völkerk. 3te Aufl. p. 144.
[3]) Peschel. l. l. p.
[4]) Peschel. p. 145.
[5]) Vs. 1091—1104.
[6]) Diod. Sic. l. l. cap. 8.
[7]) Diod. Sic. l. l.

CAPUT SEXTUM.

DE RELIQUIS METEORIS.

(Lucr. lib. VI.)

„Tu mihi supremae praescripta ad candida calcis currenti spatium praemonstra, callida musa Calliope, requies hominum divomque voluptas, te duce ut insigni capiam cum laude coronam" [1]) canit poeta, cum in ultimo libro explicaturus est „cetera quae fieri in terris caeloque tuentur mortales, pavidis cum pendent mentibu' saepe" [2]). Ea phaenomena elegit, quae cum maxime terrore afficiunt homines et deorum formidinem augent, nam hunc „timorem animi tenebrasque necessest non radii solis nec lucida tela diei discutiant, sed naturae species ratioque" [3]). Inde a vs. 96 igitur usque ad vs. 450 tonitrua, fulmina, alia eiusmodi explicat phaenomena; a vs. 451—534 de nubibus, pluvia, aliis huiusmodi phaenomenis agit; tum a vs. 535—711 exponit quibus causis terrae motus, Aetnae aliorumque montium eruptiones fiant; deinde a vs. 712—905 quî fiat, ut Nilus quaque aestate crescat et fere totius Aegypti terram irriget, de Avernis locis, ut poeta ea vocat, de lacu Averni et qui ei similes sunt, de fontibus nonnullis notabilibus; vs. 906—1089 de lapide Magnete agitur; denique inde a vs. 1090—1286 morborum causae inquiruntur et pestis, quae Athenas devastavit Periclis tempore, describitur.

In causis horum omnium investigandis teneatur quod ad librum quintum dictum est, ni falli et in errores incidere veli-

1) VI. 92 seqq.
2) Vs. 50 seqq.
3) Vs. 39 seqq.

mus, plures causas enumerandas esse, quarum una plerumque vera esse debeat. „Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam non satis est, verum pluris, unde una tamen sit; corpus ut exanimum si quod procul ipse iacere conspicias hominis, fit ut omnis dicere causas conveniat leti, dicatur ut illius una: nam neque eum ferro nec frigore vincere possis interiisse neque a morbo neque forte veneno, verum aliquid genere esse ex hoc quod contigit ei scimus . item in multis hoc rebus dicere habemus" [1]). Idem Epicurus [2]): *καὶ τὸ ὅλον . . . . πλεοναχῶς γίνεσθαι λέγειν ἐκκαλεῖται τὰ φαινόμενα*, „persuadent phaenomena ut eandem rem variis modis fieri dicamus".

Initio libri quinti iam vidimus Lucretium interdum in ordine carminis partium a via, quam ratio praescribere nobis videatur, aberrasse, cum Epicurus in epistolis semper eum ordinem servet, quem doctrinae ratio poscat. Multo magis in libro VI iusta cohaerentia desideratur, dum poeta phaenomena aliquot explicat, quae nullo iunguntur vinculo, et quibus id tantum commune est inter se, quod perversa eorum explicatio falsam opinionem de divina quadam potestate in hominum animis susceptam confirmare possit. Est tamen, ubi ordo rerum specie potius quam re ipsa turbetur, veluti in ea parte, quae de nubibus agit et tonitru, in quo non quidem ordinem secutus est, quem philosophiae ratio commendabat, sed qui in carmine praeferendus videbatur: poeta enim certum finem assequendum sibi proponit, ut superstitionem expellat. Ut hunc finem consequatur, alias vias saepe ineat necesse est, quam philosophus iniret. Epicurus de nubibus agit antequam quî tonitrua fiant explicet [3]); cum secundum eius doctrinam, nubes tonitrua efficiant. Lucretius autem primum tonitru explicat: „principio tonitru quatiuntur caerula caeli" cett. [4]), sed

---

1) Vs. 703—711.

2) D. L. X. 100 in fine. Cf. 113: *τὸ δὲ μίαν αἰτίαν τούτων ἀποδιδόναι, πλεοναχῶς τῶν φαινομένων ἐκκαλουμένων, μανικὸν καὶ οὐ καθηκόντως πραττόμενον ὑπὸ τῶν τὴν ματαίαν ἀστρολογίαν ἐζηλωκότων καὶ εἰς [τὸ] κενὸν αἰτίας τινῶν ἀποδιδόντων, ὅταν (ὅπως ἂν ?) τὴν θείαν φύσιν μηδαμῇ λειτουργιῶν ἀπολύωσι.*

3) D. L. X. 99.

4) Vs. 96.

eo cogitur ut in hac parte de nubibus agat (vs. 100—107), quamquam postea, vs. 451 seqq., uberius doctrinam de nubibus exponit. Causa huius ordinis mutationis accuratius rem perpendenti non latebit. Cum enim tonitrua et fulmina inter omnia eiusmodi phaenomena praecipue hominum animos formidine afficiant et periculosa iis sint, et hanc ob causam imprimis diis iratis tribuantur, poetae visum est ea ante omnia explicanda esse, ut hunc timorem expelleret. Ea phaenomena etiam, quae minus apta sunt ad metum efficiendum, tacitus fere praeterit, etsi Epicurus eorum rationes exposuit in epistola ad Pythoclem paragr. 106—111. „Cetera quae cursu crescunt cursuque creantur, et quae concrescunt in nubibus, omnia, prorsum omnia, nix, venti, grando, gelidaeque pruinae, et vis magna geli, magnum duramen aquarum, et mora quae fluvios passim refrenat euntis, perfacilest tamen haec reperire animoque videre omnia quo pacto fiant qua reve creentur, cum bene cognoris elementis reddita quae sint" [1]). Quisque videt poetam haec phaenomena praeterire, non quod tam facilia sint ad explicandum: nam dubito num qui bene cognoverit „elementis reddita quae sint", id est qui expositam doctrinam de atomis perspexerit, eo iam omnia haec, nivem, grandinem, ventos, cett. explicare possit; sed quia ad finem, quem poeta sibi assequendum proposuit, minus gravia sunt.

Eo magis autem miramur poetam ne verbum quidem fecisse de cometis, de quibus Epicurus agit in paragr. 111 epistolae ad Pythoclem, cum omni tempore haec caelestia corpora praecipue superstiosis fuerint praenuntia calamitatum: sed opus non est ad unguem factum, nec ultima manus huic libro accessit, quod apparet e vs. 608—639, ubi poeta explicat, quî fiat ut mare, cum tantus decursus aquarum eo defluat, non maius reddatur: hi versus quo nunc sunt loco, nexum interrumpunt neque tamen invenies quo aptius referri possint. Ergo haud veri est dissimile in hoc libro de cometis verba non fieri quod aut poeta opus non elaboraverit, aut haec pars interierit.

Ceterum totam hanc doctrinam de tonitru, fulmine cett. explicare

---

[1]) Vs. 527—34.

non opus est. Satis erit si ostenderimus Lucretium magistri placita tantum referre. Ut hoc videas cf. vs. 96—160 cum D. L. X. 100, vs. 161—322 cum D. L. X. 101 et 102, vs. 323—378 cum D. L. X. 103, quod cum feceris et in mentem revocaveris Epicuri epistolas tres eorum tantum esse epitomen, quae in libris XXXVII περὶ φύσεως copiosius exposuerit, patebit Lucretium non sua inventa tradere. Epicurus hanc partem doctrinae hisce verbis concludit [1]: καὶ κατ' ἄλλους δὲ τρόπους πλείονας ἐνδέχεται κεραυνοὺς ἀποτελεῖσθαι, μόνον ὁ μῦθος ἀπέστω· ἀπέσται δέ, ἐάν τις καλῶς τοῖς φαινομένοις ἀκολουθῶν περὶ τῶν ἀφανῶν σημειῶται. Item Lucretius post expositam doctrinam monet ne credamus Tyrrhenis carminibus aliisque eiusmodi hariolationibus quasi dii irati fulmina demittant: inania sunt haec, cum ipsa phaenomena iis repugnent [2]. Deinde Epicurus presteres quomodo fiant docet, idem Lucretius vs. 423—450. Quae tum apud eum sequuntur de nubibus vs. 451—94, de pluvia vs. 495—526, ut supra diximus, Epicurus explicat in epistola ad Pythoclem paragr. 99. Quae de terrae motibus referuntur vs. 535—607 apud Epicurum invenies l. l. 105. Poetam tamen aliud Epicuri opus secutum esse quam epistolas apparet ex initio huius partis, ubi terra dicitur „supter item ut supera ventosis undique plena speluncis (esse)" cett. „undique enim similem esse sui res postulat ipsa [3]". Haec postrema verba enim referenda sunt ad legem de ἰσονομίᾳ, quam Epicuro placuisse Cicero refert in libris de Natura deorum [4]. Praeterea quae apud Lucretium copiosius quam in epistola exponuntur ex Graeco fonte ducta esse coniicias ex exemplis v. 585, quem fontem ipsius Epicuri scriptum aliquod esse probabile est eo quod Epicurum uberius de hac quaestione exposuisse quam in epistola, apparet ex Seneca nat. quaest. VI. cap. 20 [5].

Ingeniose poeta Aetnae eruptionis causas exponit. Inter omnia bona, quibus Epicuri doctrina ceteras omnes superabat, hoc erat

---

[1]) D. L. X. 140.

[2]) Vs. 379—422.

[3]) Vs. 542.

[4]) I, 50: „aequabilis tributio: ut omnibus omnia paribus paria respondeant".

[5]) Cf. infra p. 152.

unum, quod omnia phaenomena e totius mundi condicione explicare conabatur, ita ut singula cum toto iungerentur et eadem lex omnia regeret. Morbi hominum oriuntur e seminibus morborum, quorum haec tellus et hoc caelum magnum numerum continent [1]). Haec semina subito interdum in unum membrum vel corporis partem ingruunt, ita ut morbus hominem corripiat. At quod homini ut parti universi contingit cur aliis universi partibus, pro sua ratione cuique, non contingeret? Aetnae eruptio tamquam morbus est terrae: eius morbi semina, vel atomi unius cuiusdam generis, quarum congressus eruptionem efficit, per totum universum sunt dispersa [2]), sed repente possunt confluere in unum locum.

Pro ratione totius terrae haec eruptio non maius est phaenomenon quam ulcus pro ratione corporis humani: eius tantum, qui nihil simile vidit, est mirari magnitudinem: „omnia de genere omni maxima quae vidit quisque, haec ingentia fingit"[3]). Primum legenti non dilucidus est nexus sequentium versuum cum supra expositis, cum non perspiciat quod vinculum montis eruptio cum totius mundi condicione coniungat. In iis enim expedit „illa modis quibus inritata repente flamina foras vastis Aetnae fornacibus efflet" [4]). Primum totius subcava montis est natura, fere silicum suffulta cavernis. Hae speluncae aere sunt repletae. Aer hic cum agitando et terendo percaluit et saxa et omnis generis materiam in monte calefecit, per fauces sive crateres erumpit et saxa, fumum, cineres secum trahit. Praeterea inde a mari speluncae penetrant ad radices montis. Hac via aquae et aer in intimam montis partem perveniunt, unde cum aquae vapores cum aere mixti exitum sibi quaerunt, flammae, saxa, arenarum moles egeruntur [5]). — Quod etsi teneas, tamen quaerendum est, quî poeta contendere possit ex infinito „satis mali" suppeditare terrae et caelo, unde haec eruptio explicari possit, cum in superiore argumento de aere in monte et aqua marina

[1]) Vs. 663.
[2]) Vs. 665.
[3]) Vs. 676, 77.
[4]) Vs. 680 seqq.
[5]) Ad. vs. 697 Munroo potius assentior quam Lachm.

solis sermo sit. Descriptio procul dubio non est elaborata et perfecta. Nam qua vi haec saxa, flammae, cett. eicerentur exposuit, sed haec tantum pars est totius phaenomeni. Poeta etiam locutus est de aliis phaenomenis, quae si explicasset, facilius quid velit intellegeretur, cum phaenomena haec ex Epicuri mente revera cum totius mundi condicione cohaereant. Dixit enim „flammescere caelum: id quoque enim fit, et ardescunt caelestia templa, et tempestates pluviae graviore coortu sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum" [1]). Magnae et vehementes eruptiones vulgo non sine tonitru, fulmine, tempestate cett. fiunt. Illud „ardescunt caelestia templa" non solum exprimit flammas e montis faucibus erumpentes in caelo refulgere, verum etiam ipsum caelum fulminibus ardescere et quasi una cum terra moveri et turbari. Ergo cum haec caelestia phaenomena una cum montis eruptione unum horribile spectaculum praebeant, poeta monuit, „ut reminiscaris summam rerum esse profundam et videas caelum summai totius unum quam sit parvula pars, homo terrai quota totius unus" [2]), quoniam ita tantummodo ingens et mirabile hoc phaenomenon intellegi potest, si statuis undique e caelo et terra huius mali semina tamquam in ulcus confluere et subito erumpere. — Ipsum Lucretium Aetnae montis eruptionem vidis, se confirmare haud ausim: in descriptione eius nihil est, quod id ostendat: neque eruptionem, quam vs. 641 seqq. memorat, eo tempore, quo poeta vivebat, factam esse constat. Epicurum de iis rebus scripsisse, videre licet e Senecae nat. quaest. II, cap. 20. Seneca ibi de terrae motibus et aliis eiusmodi phaenomenis locutus, postquam praestantissimorum antiquitatis philosophorum opiniones retulit, sic pergit: „Omnes istas posse esse causas Epicurus ait pluresque alias temptat et alios, qui aliquid unum ex istis esse affirmaverunt corripit, cum sit arduum de his quae coniectura sequenda sunt aliquid certi promittere". Hoc plane cum omnibus, quae de Epicuri doctrina et indole nobis nota sint, concinere, ostendere non opus erit. Deinde refert Epicuri

---

1) Vs. 669 seqq.
2) Vs. 649 seqq.

verba ad terrae motus explicandos pertinentia, quae hic praetermittere licet. De ipsa Aetnae montis eruptione quid docuerit Seneca non refert, neque alius, quod scimus. Itaque arduum nobis est de his, quae coniectura divinanda sunt, aliquid certi pronuntiare. Sed tamen cum postrema Epicuri apud Senecam laudata verba legeris, fatearis ea indicia esse, quibus statuere possumus Lucretium non sua inventa tradere, necesse nobis videtur. Sunt haec: „fortasse calida vis spiritus in ignem versa et fulmini similis cum magna strage obstantium fertur, fortasse palustres et iacentes aquas" (apud Lucretium, propter montis Aetnae prope mare situm, pro his maris aquae sumuntur) „aliquis flatus impellit et inde aut ictus terram quatit aut spiritus agitatio ipso motu crescens et se incitans ab imo in summa usque perfertur". Nullam tamen, addit Seneca, illi placet causam motus esse maiorem quam spiritum, quod Lucretium affirmare iam vidimus. Ergo statuere possumus Lucretium magistrum secutum esse in iis, quae ad explicandum hoc phaenomenon pertinent.

Inter cetera, quae poeta sibi explicanda putat, est Nili fluminis annuum incrementum. Graecorum antiquissimi scriptores, logographi Hellanicus, Cadmus, Hecataeus Diodoro teste de hoc phaenomeno iam scripserant, deinde Herodotus et plerique alii. Nec mirum hoc, cum tota Aegypti mirabilis terra, cum mores et vita incolarum Graecorum doctos adverterent, et terra merito ab Herodoto donum Nili appelletur. Inter philosophos Democritus huius Nili incrementi causas inquirere conatus erat (Diodorus I. 39, Lucr. VI. 729—34). Facile ergo concedes Epicurum tam mirum phaenomenon, ab auctore eius philosophiae tractatum, non praeteriisse et more suo inter omnes causas, quae afferebantur, non unam solam veram dixisse sed omnes, si modo cum principiis eius doctrinae non pugnarent, aeque veras habuisse. Quod si concesseris, Lucretium quatuor huius rei causas a magistro mutuatum esse, negare non poteris. Praeterea animadverte primam causam, quam profert, esse Thaletis. Incrementum Nili fit quoniam aestate etesiae e septentrione flantes fluminis aquas prohibent, quominus effluant (vs. 714—723). *Θαλῆς μὲν οὖν, εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς ἐτησίας ἀντιπνέοντας*

ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ κωλύειν εἰς θάλατταν προχεῖσθαι τὸ ῥεῦμα, καὶ διὰ τοῦτ' αὐτὸν πληρούμενον ἐπικλύζειν ταπεινὴν οὖσαν καὶ πεδιάδα τὴν Αἴγυπτον (Diod. Sic. I. cap. 38. 2). Secunda explicatio huic simillima est, quod harenae, mari procellis permoto collatae et cumulatae in fluminis ostiis, minus liberum faciant exitum amni (vs. 724—28). Quae poeta quarto loco profert: „forsitan Aethiopum penitus de montibus altis crescat, ubi in campos albas descendere ningues tabificis subigit radiis sol omnia lustrans" (vs. 735—37) sunt Anaxagorae: *Ἀναξαγόρας δ' ὁ φυσικὸς ἀπεφήνατο τῆς ἀναβάσεως αἰτίαν εἶναι τὴν τηκομένην χιόνα κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν, ᾧ καὶ ὁ ποιητὴς Εὐριπίδης μαθητὴς ὢν ἠκολούθηκε· λεγει γοῦν*

> *Νείλου λιπὼν κάλλιστον ἐκ γαίας ὕδωρ,*
> *ὃς ἐκ μελαμβρότοιο πληροῦται ῥοὰς*
> *Αἰθιοπίδος γῆς, ἡνίκ' ἂν τακῇ χιών* (Diod. I, 38, 4).

Democritus hanc opinionem refellit, putans aquilones nubila e septentrione meridiem versus propellere usque dum alti montes in Aethiopia siti ea retineant, quo fiat ut haec terra imbribus operiatur, qui Nilum nutriant. *Δημόκριτος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης φησὶν οὐ τὸν περὶ τὴν μεσημβρίαν τόπον χιονίζεσθαι, καθάπερ εἴρηκεν Εὐριπίδης καὶ Ἀναξαγόρας, καὶ τοῦτο ἐμφανὲς εἶναι πᾶσι κ. τ. ἑ.* Diod I. 39 (cf. vs. 729—734). Temporis si rationem habuisset, hanc, quam tertio loco proponit, explicationem postremam scribere debuerat poeta, quod cum non fecerit, credere licet eum Euripidis auctoritate adductum esse, ut potissimum huic Anaxagorae opinioni assentiretur. Eum ipsum nihil ad magistri expositam doctrinam addidisse, inde apparet, quod eorum tantum doctrinas descripsit, qui Epicuro aetate superiores erant et ceteros, qui etiam de hoc loco egerant et quorum placita Diodorus I. 39—41 refert, prorsus neglexit.

Eodem principio ductus, quo antea diximus Lucretium motum esse, ut certa phaenomena uberius explicaret, de locis, quae Averna vocat, uberius disserit (vs. 738—848). Quibus in locis mors regnare videbatur; deos deasve ibi vigilare quominus animalia intrarent (753—54), vel inferorum ibi portas esse et animas hinc a diis Acheruntis in oras duci, cecinere poetae. Cum ergo eiusmodi regiones hominum animos terrore et angore affi-

cerent, debebat haec omnia naturali ratione geri ostendi. Cum aliae res hominibus sint perniciosae, aliae sunt salutares; quae hominibus sunt salutares, saepe bestiis sunt perniciosae et contra. Sic atomi sunt bestiis pestiferae, quae, cum valde sint tenues, facile per nares vel alias corporis partes penetrant. Ergo statuendum est eiusmodi perniciosas atomos ut mortiferam vim de terra surgere in auras, „ut spatium caeli quadam de parte venenent: quo simul ac primum pennis delata sit ales, impediatur ibi caeco correpta veneno, ut cadat e regione loci, qua derigit aestus" [1]. Etiam fit interdum ut vapores e terra surgentes aerem discutiant ita, ut vacuum existat. Cum ad hoc vacuum veniunt aves, volare nequeunt, in terram decidunt „et vacuum prope iam per inane iacentes dispergunt animas per caulas corporis omnis" [2]. — Tum accedit explicatio phaenomenorum, quae in fontibus nonnullis observantur et quae nimis admirantur homines [3], quamobrem naturali ratione explicari debent. Si accuratius poeta descripsisset Avernas paludes prope Cumas sitas easque solas explicasset, credere posses eum suo Marte hic philosophari. Cum tamen videas eum „Athenaeis in moenibus" (749) et in Syria quoque (756) easdem memorare, cum legas eum arbores in magnis Heliconis montibus crescentes (786) et Scaptensulam (810) in demonstratione sua afferre, nulla restat causa, cur putes eum hic vulgarem suam rationem magistri interpretandi reliquisse, etsi e fragmentis ostendere non possumus Epicurum haec eodem modo explicasse. Iam minus dubitare poteris, cum intellexeris eum difficillimum phaenomenon, quod magnes lapis praebet, cuius explicatio nunc sequitur, apud magistrum expositum invenisse.

In hoc libro sexto ordinem et nexum, quibus singula capita inter se iunguntur, debiles et laxos esse supra iam apparuit. Cum poeta quaedam phaenomena selegerit et tempus eum defecisse videatur, ut omnia perficeret et tamquam in unum con-

---

[1]) Vs. 820 seqq.
[2]) Vs. 838, 39.
[3]) Vs. 848—905.

texeret, coactus est „nimium longis ambagibus" ad ipsas explicationes adire, praesertim cum metueret ut auditores eum intellegerent. Epicurei cum nihil esse praeter atomos et vacuum statuerent et omnes in hac natura agentes deos et occultas daemonum vires esse negarent, et tamen explicare deberent quomodo res intervallo distantes mutuo se afficerent et tamquam inter se tangerent, quasi coacti erant ut fluctus materiae sive atomorum perpetuo e rebus emanare docerent. Calor, quem prope ignem stans sentio, nihil est quam fluctus ab igne atomorum, item frigus, odor, color, sapor. Omnino omnes eae effluxiones eaedem esse videntur sed earum effectus differunt secundum sensus, quibus percipiuntur (vs. 984). Praeterea differunt secundum naturam rerum a quibus defluunt atque eo, quod nonnullae a superficie, aliae ex interiore rerum parte profluunt. Hisce praemissis (vs. 921—935) porro monet poeta nullum esse corpus adeo solidum, quod hisce fluctibus quodammodo penetrari non possit (vs. 936—958). Deinde haec emissa corpuscula non omnes homines et bestias eodem modo afficere (vs. 959—978). Denique non omnes res eadem ratione inanibus spatiolis esse permixtas ita ut aliae aliis fluctibus penetrentur (vs. 979—997). Tum demum res explicatur. Ex magnete et e ferro, parvo intervallo ab eo distante, aestus sive fluctus atomorum emanat, sed e magnete crassior et validior quam e ferro: hic aestus ex magnete emanans aerem discutit et propellit, ita ut inane vacuum existat. Quomodo hoc fieri possit, non perspicuum est, nam si semina e magnete effluentia aerem propellunt vacuum existere non potest quoniam haec semina loca occupabunt ab illo relicta. Sed poeta dicit vacuum fieri inter magnetem et ferrum. Tum primordia ferri, quae ex eo emanant, statim cadunt in vacuum illud et totum ferrum secum ducunt, quod praeterea ab aere post id locato propellitur (vs. 998—1041). Interdum ferrum a lapide recedit, cum aes interpositum est, nam semina ex aere profluentia prius in ferri foramina penetrant quam magnetis aestus, qui deinde, haec semina propellens, simul ferrum in quo sunt propellit (vs. 1042—1055). Quaerenti, cur non omnes res a magnete propellantur, cum tamen perpetuo ex eo aestus ille fluat, respondet

poeta nonnullas nimis esse graves, quominus propellantur hoc aestu ut aurum, alias nimis ita raro esse corpore, ut aestus pervolet intactus, velut „lignea materies" (vs. 1056—1064).

Inde a vs. 1065 Lucretius laudat nonnulla exempla ut demonstret alias res facilius cum alliis se coniungere. „Saxa vides primum sola colescere (coalescere) calce, glutine materies taurino iungitur uno, ut vitio venae tabularum saepius hiscant quam laxare queant compages taurea vincla (id est: tabulas ruptas, cum fragmina glutine refecta sunt et rursus coniuncta, saepius alio loco, ubi venae in ligno apparent, rumpi et hiscere vides quam ubi glutinum, quod praestantissimum fieri ex cornibus taurorum et genitalibus Plinius refert, scissas partes continet). vitigeni latices aquai fontibus audent misceri, cum pix nequeat gravis et leve olivom. purpureusque colos conchyli iungitur uno corpore cum lanae, dirimi qui non queat usquam; non si Neptuni fluctu renovare operam des; non, mare si totum velit eluere omnibus undis." Haec tamen quî praecedentes versus illustrare possint vix perspicitur. In exemplis enim laudatis rerum coniunctio fit similitudine quadam et congruentia atomorum et spatiolorum in rebus. „Quorum ita texturae ceciderunt mutua contra, ut cava conveniant plenis, haec illius illa· huiusque inter se, iunctura haec optima constat" (vs. 1084—86). Ergo alterius rei atomi ita cum alterius atomis coniunguntur, ut vix secerni possint. At in superiore explicatione sunt aeris ictus, qui res coniungunt, neque atomi inter se connectuntur. Videntur igitur illa exempla potius ad aliam doctrinam referenda esse, quam poeta paucis verbis tantum attigit vs. 1087 seqq.: „est etiam, quasi ut anellis hamisque plicata inter se quaedam possint coplata teneri; quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur". Secundum hanc doctrinam res sic explicanda est. Cum ex magnete tum e ferro atomi emanant: hae atomi ea sunt natura, ut facile inter se iungantur, sunt quasi annellis hamisque praeditae, ut antea iam dictum est nonnulla genera atomorum ita formata esse, ut facile connectantur et aegre relaxentur. Ut in aliis sic in hoc phaenomeno explicando quoque poeta duas admisit vel plures rationes, quas cum Epicuri doctrina convenire statim ostendemus. At ut nunc sunt versus collocati in mss.

ineptus ordo est, quasi tres postremi illi versus (1087—1089) soli ad secundam rationem pertineant. Collocandi sunt ante versum 1065, ut hic versus referendus sit ad 1089: atomi magnetis et ferri quasi anellis et hamis praeditae inter se facile iunguntur ita ut cohaereant: quae complexio etsi in magnete et ferro potissimum apparet, tamen ex aliis exemplis etiam cognosci potest.

Iam restat ut ostendamus Lucretium in hac doctrina exponenda Epicurum secutum esse. Apud Galenum, *περὶ δυνάμεων φυσικῶν* libr. I cap. XIV legimus Epicurum non de hoc phaenomeno solo disseruisse verum etiam de sucino sive electro paleas attrahente. Porro alteram Lucretii explicationem Galenus Epicuro tribuit, l.l. *Ἐπίκουρος μὲν οὖν, καίτοι παραπλησίοις Ἀσκληπιάδῃ στοιχείοις εἰς τὴν φυσιολογίαν χρώμενος, ὅμως ὁμολογεῖ, πρὸς μὲν τῆς ἡρακλείας λίθου τὸν σίδηρον ἕλκεσθαι, πρὸς δὲ τῶν ἠλέκτρων τὰ κυρήβια* [1]), *καὶ πειρᾶταί γε καὶ τὴν αἰτίαν ἀποδιδόναι τοῦ φαινομένου. τὰς γὰρ ἀποῤῥεούσας ἀτόμους ἀπὸ τῶν λίθων ταῖς ἀποῤῥεούσαις ἀπὸ τοῦ σιδήρου τοῖς σχήμασιν οἰκείας εἶναί φησιν, ὥστε περιπλέκεσθαι ῥᾳδίως. προςκρουούσας οὖν αὐτὰς τοῖς συγκρίμασιν ἑκατέροις, τοῖς τε τοῦ λίθου καὶ τοῦ σιδήρου, κἄπειτ' εἰς τὸ μέσον ἀποπαλλομένας, οὕτως ἀλλήλαις τε περιπλέκεσθαι καὶ συνεπισπᾶσθαι τὸν σίδηρον.* Priorem explicationem Alexander Aphrodisiensis (Quaestion. natur. lib. II. cap. 23) Empedocli tribuit, qui „magnetis ferrum ad se trahentis vim explicuit e ratione pororum, dicens, eo quod utriusque *ἀποῤῥοαί* et *πόροι* inter se congruant effici, ut se invicem appetant. Quum enim magnetis *ἀποῤῥοαί* in ferrum influentes aërem poros ferri obsidentem removerint, tum ferrum vicissim magnam emittere effluxionem, eaque ipsum simul ad magnetem rapi" [2]). Epicurus procul dubio hanc Empedoclis expositionem laudavit, vulgarem suam sequens rationem, cum varias philosophorum doctrinas si naturali ratione rem exponebant, aeque veras habuerit. Quod vel manifestum fit si Lucretii verba vs. 1070 seqq. supra laudata componis cum Empedoclis versibus: *οἴνῳ ὕδωρ μᾶλλον πέλει ἄρθμιον, αὐτὰρ ἐλαίῳ*

[1]) Pertinent haec ad certamen inter physicos de magnete, num ferrum attrahat an vero magnetem ferrum.

[2]) Karsten, Empedoclis Agrigentini carminum reliquiae. Amstelod. 1838, pag. 440.

οὐκ ἐθέλει . . . βύσσῳ δὲ ξανθῇ κόκκου καταμίσγεται (ἄνθος). Müll, fr. Emp. 340, 41, 42. Laudes igitur huius doctrinae qaaliscumque Epicureïs tribui non possunt [1]).

Haec carminis pars, quae de magnete agit, cum per se constet neque cum praecedentibus vel sequentibus versibus coniuncta sit, quae nunc sequuntur ex mente poetae excepisse debent locum de Avernis. Ibi enim Lucretius docuit esse quosdam mortiferos vapores e terra vel paludibus surgentes, qui „spatium caeli quadam de parte venene(n)t" et animalia necent. Similem causam profert morborum imprimis pestilentiae (vs. 1090—1137). Multa sunt primordia nobis perniciosa, quae congregata et cumulata „aut extrinsecus ut nubes nebulaeque superne per caelum veniunt, aut ipsa saepe coorta(e) de terra surgunt, ubi putorem umida nactast intempestivis pluviisque et solibus icta". Etiam aer et aquae, cum incolis sint salutaria, peregrinis saepe sunt perniciosa: „nonne vides etiam caeli novitate et aquarum temptari procul a patria qui cumque domoque adveniunt ideo quia longe discrepitant res?" (vs. 1103 seqq.). In hoc phaenomeno latet causa pestilentiae. Nam proinde atque homines in aliam terram migrare possunt, aer vel caelum nobis perniciosum e remota regione ad nos se conferre potest et aerem nostrum corrumpere aut in aquas et fruges cadere: itaque possunt morborum semina in corpora nostra intrare. — Hanc partem denique illustrat et totum opus concludit poeta pulcra et elata descriptione pestilentiae, quae quondam „finibus in Cecropis funestos reddidit agros vastavitque vias, exhausit civibus urbem". Haec descriptio cum in multis congruat cum Thucydidis narratione II, 47—54, non mirum est plerosque censere Lucretium hanc partem e Thuc. scriptis addidisse, ut totum opus quasi coronaret. Omnia reputans tamen addubitare ausim, num ipse poeta Thucydidis opus inspexerit. In toto carmine tantam partem invenimus nullam, quam non ex Epicuro sumpserit poeta. Ergo nisi firmis argumentis vincimur, concedere non possumus eum hîc a vulgari sua ratione aberrasse.

---

[1]) Ut Langio placuit in Gesch. des Material. I, pag. 120.

Nam si statuimus eum hanc descriptionem suo Marte inseruisse, putemus necesse est eum Hippocrati vel aliis medicis operam dedisse, cum inde a vs. 1183 multa referat, quae apud Thuc. non leguntur [1]). Sed apparuit poëtam numquam, quatenus quidem e carmine eius cognosci potest, aliis Graecis philosophis aut medicis studuisse. Eum autem in hanc operis partem, quae *ad totum* respicienti non admodum gravis et magni momenti videtur, tantum studium impendisse, ut veterum Graecorum medicorum scripta perlegeret, non verisimile mihi videtur. Etiam aliae sunt partes (1151, [Th. II, 49, 2], 1159, 1197, 1202—1205, 1209, 1239) [2]), quae aut non leguntur apud Thuc., aut non congruunt cum eius verbis. Munr. censet poetam eos versus scribentem non intellexisse quae Thuc. scripserit, cum Romani Lucretii tempore non optime graece scirent. Sed hoc idem argumentum nobis persuaderet Lucretium nunquam illum rerum gestarum scriptorem legisse, quem Cicero difficilem esse intellectu dixit. Potius credimus Epicurum de morbis scribentem [3]), cum de peste ageret, Thucydidis descriptionem secutum esse, nonnulla addidisse, alia, quae emendanda ei viderentur, emendasse et Lucretium magistri vestigia pressisse. Cum autem morbi criteria essent enumeranda et ipse Thucydides eo morbo laborasset, non mirum est Epicurum tam accurate eum secutum esse, ut fere in omnibus eundem servet ordinem. Quod si statuimus omnia facile explicantur, quae minus videntur perspicua, neque cum Munr., ut hoc utar, statuendum est, poetam metri causa vs. 1197 octavum diem scripsisse pro septimo, quem Thuc. memoravit, cum Epicuro hanc discrepantiam imputendam esse facile concedi possit.

---

[1]) Cf. Munr. ad hunc locum.

[2]) Cf. Munr.

[3]) D. L. X, 28: Epicurus scripsit: περὶ νόσων δόξαι πρὸς Μίθραν.

CAPUT SEPTIMUM.

DE MORALI LUCRETII DOCTRINA.

Epicuri tempore respublica Atheniensis iam diu pristinas vires amiserat. Dum ea florebat omnes cives communi consensu totius civitatis salutem quaerebant: etsi de via, qua petenda erat, non omnes consentiebant, concors tamen erat civium vitae ratio, quasi unam familiam constituerent. Sed communi illo vinculo confracto, sua cuique salus sola cordi erat. Quid omnibus prodesse posset non primum quaerebatur, sed quomodo quisque iucunde vivere posset et tranquille, id omnes sollicitabat, et quo magis respublica erat debilitata et vetus religio contempta iacebat, eo magis e communi vita sapientes et docti viri confugiebant ad philosophorum doctrinas, ut animi tranquillitatem assequerentur. Nam ipsa philosophia, quam Socrates iam dicitur „devocasse e caelo, et in urbibus collocasse et in domos etiam introduxisse, et coegisse de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere" [1]) in morali doctrina fere tota versabatur, cum physica et canonica quasi ancillae essent ethices. Itaque Ἐπίκουρος ἔλεγε τὴν φιλοσοφίαν ἐνέργειαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν [2]). Romanorum respublica, etsi ineunte saeculo primo ante Christum multis erat partibus ab Atheniensi, qualis erat Epicuri tempore, diversa, hoc tamen inter utramque conveniebat, quod „commune bonum" non amplius cives omnes incitabat, ut vel

[1]) Cic. Disp. Tusc. lib. V.
[2]) Sext. Emp. Πρὸς δογματ. E. 169.

suo cum detrimento universorum salutem augerent; cum respublica Romae in dies magis paucorum esset, plerique potius quomodo commodis vitae divitiisque in otio et tranquillitate frui, quam civium felicitatem augere possent, cogitabant. Cum pacatus animi status finis esset bonorum, moralis doctrina, quae eum obtineri posse docebat, praecipua erat pars philosophiae. Verum ut illa usibus Romanorum satisfaceret, evellenda erant ex animis quaecumque sollicitare quietum animi statum possent: multo altiores apud Romanos quam apud Graecos radices egerat superstitio; nec temere spernebant Romani, si Lucretio ipsi fides, quaecumque patrum auctoritate confirmatae erant de inferis, de animorum post mortem statu, de diis opiniones. Quae tamen si starent integrae et inconcussae, frustra erat animi quietem commendare. Ita factum ut Lucretius de rerum natura exponens moralis disciplinae fundamenta iacere potuerit removendis iis, quae vulgo credita prohiberent, quominus sapientiae de beata vita monitis aures aequales praeberent. Quod Epicurum perfecisse dicit poeta, id ipse assequi cupit: „veridicis igitur purgavit pectora dictis, et finem statuit cuppedinis atque timoris, exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes, quid foret, atque viam monstravit, tramite parvo qua possemus ad id recto contendere cursu, quidve malum foret in rebus mortalibu' passim, quo fieret naturali varieque volaret seu casu seu vi, quod sic natura parasset [1]), et quibus e portis occurri cuique deceret, et genus humanum frustra plerumque probavit volvere curarum tristis in pectora fluctus nam vel uti pueri trepidant atque omnia caecis in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus inter dum, nilo quae sunt metuenda magis quam quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura. hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest non radii solis nec lucida tela diei discutiant, sed naturae species ratioque" [2]).

[1]) Id est: quid proprie essent mala, quae nobis mortalibus contingerent, docuit, quove naturali casu seu necessitate fierent et in variis formis per aerem, quoniam atomi essent, volarent, cum non dii sed ipsa natura ea parasset. Ad *naturali seu casu seu vi* cf. Stob. Ecl. lib. I, 206: *'Επίκουρος κατ' ἀνάγκην, κατὰ προαίρεσιν, κατὰ τύχην* dixit omnia fieri.

[2]) VI, 24—41.

Lucretius summum illud bonum iam nactus est et sua felicitate gaudens aliorumque errores et terrores et cupiditates tranquillus despiciens et deplorans „Suave, inquit, mari magno turbantibus aequora ventis, e terra magnum alterius spectare laborem; non quia vexari quemquamst iucunda voluptas, sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est: suave etiam belli certamina magna tueri per campos instructa, tua sine parte pericli: sed nil dulcius est, bene quam munita tenere edita doctrina sapientum templa serena, despicere unde queas alias passimque videre errare atque viam palantis quaerere vitae, certare ingenio, contendere nobilitate, noctes atque dies niti praestante labore ad summas emergere opes rerumque potiri" [1]).

Cum autem ipse tanta pace et tranquillitate animi fruatur, efficere conatur ut omnes earum participes fiant et a malis, quibus cruciantur per totam vitam, liberentur. Horum autem malorum omnium metus et terror sunt causae, metus rursus et terroris causa est ignorantia: „temptat enim dubiam mentem rationis egestas" [2]. Homines cum ventos, fulmina, terrae motus, aliaque phaenomena explicare non possent, diis ea tribuebant, quorum imagines in somnis iam viderant [3]). Idem Epicurus: *ὥσπερ γὰρ ὁ τῆς βροντῆς κτύπος, καϑά φασιν Ἐπικουρείων παῖδες, οὐ ϑεοῦ τινὸς ἐπιφάνειαν σημαίνει ἀλλὰ τοῖς ἰδιώταις καὶ δεισιδαίμοσι τοιοῦτος εἶναι δοξάζεται* [4]) . . . *Ἐπίκουρος δὲ ἐκ τῶν κατὰ τοὺς ὕπνους φαντασιῶν οἴεται τοὺς ἀνϑρώπους ἔννοιαν ἐσπακέναι ϑεοῦ· μεγάλων γὰρ εἰδώλων, φησί, καὶ ἀνϑρωπομόρφων κατὰ τοὺς ὕπνους προςπιπτόντων ὑπέλαβον καὶ ταῖς ἀληϑείαις ὑπάρχειν τινὰς τοιούτους ϑεοὺς ἀνϑρωπομόρφους* [5]). Cum rerum naturam non perspicerent verum perfectam eam esse opinarentur, hoc adlaudabile opus divinitus esse paratum credebant, atque e nihilo deos omnia procreasse [6]). Ignorantia porro adducti, „omnia posse (deos) miseri

---

[1]) II, 1—13.
[2]) V, 1211.
[3]) V, 1161—1240.
[4]) Sext. Emp. adv. mathem. VI, 19.
[5]) Sext. Emp. adv. mathem. IX, 25.
[6]) V, 156, 198. I, 150.

credunt, ignari quid queat esse, quid nequeat, finita potestas denique cuique quanam sit ratione atque alte terminus haerens: quo magis errantes caeca ratione feruntur" [1]. Adversus hos omnipotentes deos, quid valet debilis homo, praesertim cum „ob admissum foede dictumve superbe poenarum grave sit solvendi tempus" [2] exspectandum? Sic ubique se a diis daemonibusque, qui totam vitam regant omniaque facta noscant, circumdatos credunt homines. „Usque adeo res humanas vis abdita quaedam opterit, et pulchros fascis saevasque secures proculcare ac ludibrio sibi habere videtur" [3]. Neque haec satis. Si tantum sperare posses te post mortem aeterna quiete fruiturum esse, tranquillus esses, cum semper tibi potestas esset, mortem tibi consciscendo, e deorum vi et potestate te eripiendi. Sed post mortem poenas lues eorum, quae vivus contra deorum voluntatem feceris. „Si certam finem esse viderent aerumnarum homines, aliqua ratione valerent religionibus atque minis obsistere vatum: nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas, aeternas quoniam poenas in morte timendumst" [4]. Itaque religio miserrimos homines reddebat: „humana ante oculos foede cum vita iaceret in terris oppressa gravi sub religione, quae caput a caeli regionibus ostendebat horribili super aspectu mortalibus instans" [5], nulla pax, nulla voluptas mortalibus unquam datae erant. Paucis idem Velleius ex Epicuri mente dicit apud Ciceronem: „imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum?" [6].

Ergo si tranquillitate et voluptate frui volunt homines primum cognoscere debent cum deorum naturam, tum quo modo omnia, quae fiant, naturali ratione explicari possint. Quod porro ad

---

[1] VI, 66.
[2] V, 1224.
[3] V, 1233.
[4] I, 107 seqq.
[5] I, 63 seqq.
[6] De nat. deor. I, 20.

deorum naturam pertinet, ante omnia tenendum est eos nihil agere in hoc mundo, omnia sine eorum auxilio fieri, „natura videtur ... ipsa sua per se sponte omnia dis agere expers" [1]). „Omnis enim per se divom natura necessest immortali aevo summa cum pace fruatur semota ab nostris rebus seiunctaque longe: nam privata dolore omni, privata periclis, ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri, nec bene promeritis capitur neque tangitur ira" [2], vel ut ipse Epicurus: *τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτ' αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτ' ἄλλῳ παρέχει, ὥστε οὔτ' ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεται · ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον* [3]). Deos tamen revera esse docent „de corpore quae sancto simulacra feruntur in mentes hominum divinae nuntia formae" [4]), sed ad haec simulacra homines sui quid addunt itaque diis tribuunt, quod partim quidem eorum naturae non convenit [5]). *Θεοὶ μὲν γὰρ εἰσίν. ἐναργὴς δ' ἐστὶν αὐτῶν ἡ γνῶσις, οἵους δ' αὐτοὺς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν · οὐ γὰρ φυλάττουσιν αὐτοὺς οἵους νομίζουσιν* [6]). Eos humana esse specie poeta non confirmat, sed Epicurus docuit: *Ἐπίκουρος ἀνθρωποειδεῖς μὲν πάντας τοὺς θεούς ...* [7]).

---

1) II, 1090, 92.

2) II, 646 seqq.

3) Diog. L. X, 139.

4) VI, 76.

5) V, 1169 seqq., 1185 seqq.

6) D. L. 123.

7) Plut. plac. I, 7, 18. D. L. X, 139: *ἐν ἄλλοις δέ φησι τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητούς, οὓς μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας, οὓς δὲ καθ' ὁμοειδίαν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων* (Zeller: — *μένους*) *ἀνθρωποειδῶς*. Zeller (III, 1, p. 398, not. 4) et Steinhart (Ersch et Gruber Realencycl. sub voce Epicurus, p. 477) putant haec verba emendanda, cum alter vitium quaerat in *κατ' ἀριθμόν*, alter autem in *οὓς μὲν ... οὓς δέ*. Neuter recte, si quid video. Epicurus dixit propter *ἰσονομίαν* (Cic. de nat. deor. I, 19, 50) deorum numerum esse infinitum. Vulgus autem inter hos deos innumeros discernebat nonnullos, qui sua natura et indole et suis moribus erant praediti, ita ut singuli possent agnosci; reliquorum *χαρακτήρ* minus erat distinctus et quasi omnibus communis. Hoc discrimen Epicurus e suis principiis ad discrimen inter simulacra, per quae dei apparent, referre debebat. Igitur statuit nonnullorum deorum *εἴδωλα κατ' ἀριθμόν* apparere, id est, ita ut singula quasi individua (ut recentem significationem antiquo vocabulo subiungam) possent animadverti, cum reliqua, quorum „semper

Num tamen ipse peeta et Epicurus certas et definitas de deorum corporibus habuerint notiones, dubitamus. Lucretius canit: tenuis (est) natura deum longeque remota sensibus ab nostris animi vix mente videtur" [1]): haec naturane ex atomis sit facta, necne, non dicit. Epicurus censuit *λόγῳ δὲ πάντας τούτους (τοὺς θεοὺς) θεωρητοὺς διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων φύσεως* [2]). Suas habent sedes dei [3]), quae tamen „nostris sedibus esse dissimiles debent" propter divinorum corporum tenuitatem [4]): Epicurus eas sedes posuit in intermundiis [5]), quae tamen a Lucretio non memorantur. Omnino poeta pauca dixit de diis, nisi ubi adversarii refellendi erant: duae tantum sunt qualitates, quae cum notione deorum semper iungi debent: immortalitas et beatitudo. Imprimis autem cavendum est ne quid diis tribuamus, quod ab hisce notionibus alienum sit: *τὸν θεὸν ζῷον ἄφθαρτον καὶ μακάριον νομίζων . . . μηθὲν μήτε τῆς ἀφθαρσίας ἀλλότριον μήτε τῆς μακαριότητος ἀνοίκειον αὐτῷ πρόσαπτε, πᾶν δὲ τὸ φυλάττειν αὐτοῦ δυνάμενον τὴν μετ' ἀφθαρσίας μακαριότητα περὶ αὐτοῦ δόξαζε* [6]). Multa sic dubia manere quisque intellegit, sed Epicurei putabant

---

subpeditabatur facies et forma manebat" (V, 1175, 76), communi tantum notione se animo infigerent. Cf. Lucr. V, 1169 seqq. Huic Laertiano loco opponitur Cic. de nat. deor. I, I, 19, 49: „Epicurus . . . docet eam esse vim et natura deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam nec ad numerum, ut ea quae ille propter firmitatem *στερέμνια* appellat, sed imaginibus, similitudine et transitione perceptis; cum*que* infinita simillumarum imaginum species ex innumerabilibus individuis exsistat et ad nos (ita Zeller pro *ad deos*; Schoem. Bait. *a deo*) adfluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram, intellegentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna". Sed ut saepius, ita hoc loco quoque, Cicero Epicurum non intellexisse videtur itaque res conturbat; primum alterum tantum deorum simulacrorum genus, quasi solum exstet, commemorat; deinde minus est accuratus, cum *στερέμνια* imaginibus opponat, oblitus *στερέμνια* videri non posse nisi per imagines: denique ipse sermo obscurus confirmat Ciceronem rem non perspexisse.

1) V, 148.

2) Plut. l. l.

3) V, 162.

4) V, 153.

5) Cic. de div. II, 40.

6) D. L. X, 123.

„quaedam oportere quaerere et definire de diis, quaedam vero nec quaerere nec definire" [1]).

Quamquam fatemur in Epicuri doctrina deos omnino omitti debuisse, tamen Posidonio Stoico concedere non possumus dicenti [2]), „nullos esse deos Epicuro videri, quaeque is de diis immortalibus dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse". Posidonii argumentum futile esse facile is videt, qui reputat vulgus non eum solum ἄθεον existimare, qui deos esse, verum etiam qui eos tales esse et eo modo colendos, quo vulgus censeat, neget. At non solum Epicurus a diis multa abiudicavit, quae vulgus iis tribuebat, verum etiam aliter deos colendos esse statuit, attamen se vera pietate adductum deos adire putabat. Ἀσεβής, inquit, *οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προσάπτων· οὐ γὰρ προλήψεις εἰσίν, ἀλλ' ὑπολήψεις ψευδεῖς αἱ τῶν πολλῶν ὑπὲρ θεῶν ἀποφάσεις* [3]). Qui autem hoc scripsit sane vulgi iudicium non metuit. — Eodem principio ductus Lucretius verum cultum deorum vulgi sacris opponit: „pietas (n)ullast velatum saepe videri vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras nec procumbere humi prostratum et pandere palmas ante deum delubra, nec aras sanguine multo spargere quadrupedum, nec votis nectere vota, *sed mage pacata posse omnia mente tueri*" [4]). Delubra deum placido cum pectore sunt adeunda, „animi tranquilla pace" deorum simulacra suscipere debemus [5]). Cum vulgi religio ad flagitia et facinora homines propellat [6]), vera deorum cognitio nos docet *τὰ στοιχεῖα τοῦ καλῶς ζῆν* [7]), cum tranquilli deorum venerandam maiestatem contemplemur et ipsa natura diis expers omnia suppeditet, quibus ad bonam vitam nobis opus est. „Apparet divum numen sedes-

---

1) Philodem. De deorum vivendi ratione, per coniecturas investigata, secundum Zenonis placita. Volum. Herculan. Tom. VI, Col. 14.

2) Cic. de nat. deor. I, 44, 123.

3) D. L. X, 123, 124.

4) V, 1198 seqq.

5) VI, 75 seqq.

6) I, 82, „illa religio peperit scelerosa atque impia facta".

7) D. L. X, 123.

que quietae, quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis aspergunt neque nix acri concreta pruina cana cadens violat semperque innubilus aether integit, et large diffuso lumine rident; omnia suppeditat porro natura, neque ulla res animi pacem delibat tempore in ullo" [1]).

Praeter rectam deorum cognitionem animi natura cognosci debet, ne putemus nos immortales esse et post mortem multa mala passuros, nam mortis metus „funditus humanam vitam turbat ab imo, omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam esse voluptatem liquidam puramque relinquit" [2]). Metus hic paene omnes corripit, quin etiam eos, qui se omni metu liberos esse credunt, mortem timere apparet et „in rebus acerbis acrius advertunt animos ad religionem", „nam verae voces tum demum pectore ab imo eiciuntur, et eripitur persona, manet res", i. e. eripitur fallax species, quam prae se ferunt, manet vera sententia [3]). Praeterea cum mortem timeant homines, omnia, quae vitam tueri possunt vel posse putantur, voluptates, divitias, honores, quam strenuissime sibi quaerunt per fas et nefas, ita ut ex eo timore plurima scelera nascantur, quin etiam homines ipsi sibi mortem consciscant, „obliti fontem curarum hunc esse timorem" [4]).

Vides quam gravibus acerbisque verbis Lucretius mortis timorem vituperet eique fere omnia mala tribuat et fortasse credis eum poetico furore correptum esse et a magistri via aberrantem eius dicta exaggerasse. Sed cum legeris illud Epicuri dictum: „tantam hominum imprudentiam esse, immo dementiam, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem" [5]), cum hoc paradoxon

---

[1]) III, 18 seqq.

[2]) III, 38 seqq.

[3]) III, 53, 54, 57, 58.

[4]) III, 82.

[5]) Seneca. Epist. mor. lib. III, ep. 3, 23. Duas Lucretii imagines III: 87, nam vel uti pueri trepidant cett. et vs. 58 eripitur persona manet *res*, in eadem Senecae epistola, quamquam aliter adhibentur, invenies. § 13: „quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiusculis pueris evenit: illi quos amant, quibus adsueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt: non hominibus tantum, sed *rebus* persona demenda est et reddenda facies sua". Cum e tota epistola appareat quanta industria Seneca huc pertinentia Epicuri scripta legerit (cf. § 18, 22, 23),

magistri esse intellexeris, non amplius negabis Lucretium reliqua quoque ab eo sumpsisse, quamquam fortasse vs. 75 seqq. ubi invidia et quae ex ea sequuntur vitia, mortis timori tribuuntur, excipies, cum poetae animum acerbum eoque exaggerantem ostendant.

Hoc demum metu dempto e tenebris clarum extollitur lumen et commoda vitae illustrantur, sed cum ignorantia huius metus sit causa, „necessest non radii solis neque lucida tela diei (eum) discutiant, sed naturae species ratioque" [1]), vel ut ipse Epicurus: *οὐκ ἦν ἄνευ φυσιολογίας ἀκεραίους τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν* [2]). Exposita in libro tertio de animi natura doctrina et conclusione posita „nobis nil esse in morte timendum", inde a vs. 870 poeta summa cum arte illam conclusionem adhibet, ut eorum stultitiam vituperet, qui post mortem se victuros rati, vitam lamentationibus aut immodicis voluptatibus indulgentes degunt. Primum sunt qui credere se dicant nullum sensum in morte sibi futurum et tamen querantur „post mortem fore ut aut putescant corpore posto aut flammis interfiant malisve ferarum" [3]): hi non dant quod promittunt, sibi non constant, cum timeant ne quid sentiant post mortem, etsi ipsi confessi sint se tum nihil omnino sentire posse. Item Epicurus: *οὐθὲν γάρ ἐστιν ἐν τῷ ζῆν δεινὸν τῷ κατειληφότι γνησίως τὸ μηδὲν ὑπάρχειν ἐν τῷ μὴ ζῆν δεινόν* [4]). *Τὸν σοφὸν οὐ δοκεῖ . . . ταφῆς φροντιεῖν* [5]).

Deinde sunt qui non dolores post supremum diem metuant, sed quibus se mortuos omnibus vitae gaudiis carere doleat. Neque tamen hoc in intimo humano corde quasi innatum gaudii desiderium poetae aequa est et iusta mortis timoris causa, quamquam non vituperat sed potius consolatur eum, qui ita sentit.

---

contendere ausim Senecam eas imagines ex Epicuri scriptis hausisse. Animadvertamus praeterea Senecam illud *eripitur persona manet res*, cum ut *ipsam mortem* cognoscamus et nihil esse in ea terribile nisi ipsum timorem putemus, id adhibeat, accuratius scripsisse quam Lucretium, cum de vero *hominis* statu adversus mortem is loquatur; itaque minus iuste rem manere dicit.

1) III, 1 seqq., 91 seqq.

2) D. L. X, 143.

3) III, 870 seqq.

4) D. L. X, 125.

5) D. L. X, 118.

Hanc ob causam mortem metuas? Cogita, quaeso, tibi mortuo nullius rei desiderium futurum. Praeterea vita plus continet doloris quam voluptatis. „Tu quidem ut es leto sopitus, sic eris aevi quod super est cunctis privatu' doloribus aegris: at nos horrifico cinefactum te prope busto insatiabiliter deflevimus, aeternumque nulla dies nobis merorem e pectore demet ... igitur quaerendumst, quid sit amari tanto opere, ad somnum si res redit atque quietem, cur quisquam aeterno possit tabescere luctu" [1]). Num tamen tota ex Epicuri mente sit haec consolatio dubitamus; non enim convenit cum laudata animi *ἀταραξίᾳ*, si mortem requiem habes vitae malorum. Pariter vituperat Epicurus qui mortem ut malorum maximum fugiunt, atque eos, qui eam ut requiem eorum, quae in vita sunt, tristium cupiunt: *οἱ πολλοὶ τὸν θάνατον ὁτὲ μὲν ὡς μέγιστον τῶν κακῶν φεύγουσιν, ὁτὲ δ' ὡς ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν κακῶν ποθοῦσιν.* Sapiens *οὔτε φοβεῖται τὸ μὴ ζῆν· οὔτε γὰρ αὐτῷ προσίσταται τὸ ζῆν· οὔτε δοξάζεται κακὸν εἶναι τὸ μὴ ζῆν* [2]).

Qui edunt et bibunt et gaudent dicentes „brevis hic est fructus homullis, iam fuerit, neque post umquam revocare licebit", etiam cogitare videntur fore ut sibi mortuis iam desiderium alicuius rei insit. Stultos! „Nec sibi enim quisquam tum se vitamque requirit, cum pariter mens et corpus sopita quiescunt" [3]). Vita est quasi convivium: quisque conviva caveat ne tempus abeundi veniat antequam satur sit: nam tempus certum cuique datum est, cum alii quoque eodem debeant convivio frui, „vitaque mancipio nulli detur, omnibus usu". Ne speret fore ut aliud convivium plus voluptatis sibi det, nam „eadem sunt omnia semper". Qui satur est aequo animo capiat securam quietem, et qui nondum satur est questus omittat, cum culpa sua abire debeat antequam vita fructus sit, quia semper avebat quod aberat, praesentia contemnebat [4]).

---

[1]) III, 894 seqq.

[2]) D. L. X, 125.

[3]) III, 912 seqq.

[4]) III, 931 seqq.

Idem Epicurus: *ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι οὐδὲν δυσχεραίνων, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου, ὅταν (ἡ) ὥρα ᾖ* [1]. Secundum Senecam Epicurus adsidue queritur, quod adversus praeterita simus ingrati, quod quaecumque percepimus bona non reducamus nec inter voluptates numeremus, cum certior nulla sit voluptas quam quae iam eripi non potest" [2]. Porro Epicurus dixit: *γεγόναμεν ἅπαξ, δὶς οὐκ ἔστι γενέσθαι· δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα* (i. e. *semper*) *μηκέτ' εἶναι· σὺ δὲ τῆς αὔριον οὐκ ὢν κύριος ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν· ὁ δὲ πάντων βίος μελλησμῷ παραπόλλυται· καὶ διὰ τοῦτο ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει* [3].

Tormenta, quae in inferis dicebantur malos vexare, non parum mortis metum augebant. Lucretius autem ea non simpliciter negavit, verum *ἀλληγορικῶς* quae de iis narrantur interpretatus est: „ea, ni mirum, quae cumque Acherunte profundo prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis" [4]. Tantali dolores fert qui inani deorum metu vexatur. Tityos hic est, qui amoris auris vel cupidinis cruciatur, cett. Epicurus idem docuisse videtur, cum legamus eum vanos esse inferorum metus docuisse. Seneca „non, inquit, sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi nec saxum humeris Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci posse cotidie et carpi, nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium: mors nos aut consumit aut exuit" [5]. Similiter Democritus, qui originem huius superstitionis indicare conatur: *ἔνιοι*, inquit, *θνητῆς φύσιος διάλυσιν οὐκ εἰδότες ἄνθρωποι, ξυνειδήσι δὲ τῆς ἐν τῷ βίῳ κακοπραγμοσύνης τὸν τῆς*

---

1) Stob.

2) Senec. de benef. III, 4, 1.

3) Stob. Floril. I, 276.

4) III, 978 seqq.

5) Senec. Epist. mor. III, ep. 3, 18. Ipsae Epicuri reliquiae idem testari videntur: *πρὸς ὑπο(λή)ψει τιθένα(ι) — φοβερόν — ὑποψίαι — οὐδ' ὡς καταν(ενο)ηκὼς ὅτι ταῦτ(α) μὲν δεῖ πα(θε)ῖν (?) τὸν ἀ(π)οβ(ιω)σόμενον — παραδεδο(μέν)ων · μύθ(ων) — τιμωρίαι.* Gomperz, Neue Bruchstücke Epikur's insbesondere über die Willensfrage. Wien. 1876.

βιοτῆς χρόνον ἐν ταραχῇσι καὶ φόβοισι ταλαιπωρέουσι, ψεύδεα περὶ τοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν μυθοπλαστέοντες χρόνου [1]). Ipsam allegoriam tamen apud eos non invenimus, fortasse igitur a poeta est inventa. Denique ne mortem timeant, argumentum affert Lucretius rursus maxime poeticum et a poeta fortasse sumptum. Si mortem metuis, memento te non solum mori. Illustrissimi et clarissimi viri, heroes, poetae, philosophi ultimum obierunt diem, tu cur viveres in aeternum? [2]). *Κάτθανε καὶ Πάτροκλος ὅ περ σέο πολλὸν ἀμείνων* [3]). Omnino si pace frui vis, desine immortalitatem desiderare, neque enim „nova vivendo procuditur ulla voluptas: sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur cetera: post aliud, cum contigit illud, avemus, et sitis aequa tenet vitai semper hiantis")[4]. *Ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ τοῦ μηθὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον ἀπολαυστὸν ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θνητόν, οὐκ ἄπειρον προςτιθεῖσα χρόνον, ἀλλὰ τὸν τῆς ἀθανασίας ἀφελομένη πόθον* [5]).

Sed etiam praeter mortis timorem multa sunt, quae vitam miseram faciant et omnia eandem habent causam, ignorantiam.

„O miseras hominum mentes, o pectora caeca! qualibus in tenebris vitae quantisque periclis degitur hoc aevi quod cumquest" [6]).

„Plerumque videmus quid sibi quisque velit nescire, et quaerere semper commutare locum, quasi onus deponere possit" [7]). Et causam cur tam miseri sint, cur „tanta mali tamquam moles in pectore constet", ignorant neque noscere student. In rebus inanibus animi quaerunt pacem, „morbi quia causam non tenet aeger; quam bene si videat, iam rebus quisque relictis naturam primum studeat cognoscere rerum, temporis aeterni quoniam, non unius horae, ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis

---

1) Stob. Flor. 120, 20.
2) III, 1024 seqq.
3) Hom. Il. Φ, 107.
4) III, 1081 seqq.
5) D. L. X., 124.
6) II, 14 seqq.
7) III, 1057 seqq.

aetas, post mortem quae restat cumque manenda" [1]). Aeterna animi tranquillitate, maximo bono potirentur, si modo viderent „*nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cui corpore seiunctus dolor absit, menti' fruatur iucundo sensu, cura semotu' metuque*" [2]). Quod si semel consecutus eris, reliqua, quae appellantur bona, „gazae, nobilitas, gloria regni" non magni sunt aestimanda, cum nil prosint animo neque corpori [3]). Eodem modo Epicurus summum bonum definivit. Τούτων γὰρ ἀπλανὴς θεωρία πᾶσαν αἵρεσιν καὶ φυγὴν ἐπανάγειν οἶδεν ἐπὶ τὴν τοῦ σώματος ὑγίειαν καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἀταραξίαν, ἐπεὶ τοῦτο τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστι τέλος, τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν ὅπως μήτ' ἀλγῶμεν μήτε ταρβῶμεν · ὅταν δ' ἅπαξ τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεται πᾶς ὁ τῆς ψυχῆς χειμών, οὐκ ἔχοντος τοῦ ζῴου βαδίζειν ὡς προςενδέον τι καὶ ζητεῖν ἕτερον ᾧ τὸ τῆς ψυχῆς καὶ τὸ τοῦ σώματος ἀγαθὸν συμπληρωθήσεται [4]). Si quis hoc summum bonum sibi quaerit, bene et iuste vivat necesse est. Ὅτῳ μὴ ὑπάρχει ζῆν φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως, οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν [5]). Parce vivit. „Quod si quis vera vitam ratione gubernet, divitiae grandes homini sunt vivere parce aequo animo: neque enim est unquam penuria parvi" [6]). Χάρις, Epicurus inquit, τῇ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα οὐκ ἀναγκαῖα. Εἰ βούλει πλούσιόν τινα ποιῆσαι, μὴ χρήμασιν προςτίθει, τῆς δὲ ἐπιθυμίας ἀφαίρει [7]). Honores et regnum non cupit: „satius multo iam (est) parere quietum quam regere imperio res velle et regna tenere" [8]). „Epicurus ait: non accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit" [9]. Amorem sapiens vitabit, quoniam animum conturbat, „unaque res haec est, cuius

---

1) III: 1070 seqq.
2) II, 16 seqq.
3) II, 23 seqq.
4) D. L. X, 128.
5) D. L. X, 140.
6) V, 1117 seqq. Cf. VI, 9 seqq. II, 20 seqq.
7) Stob. Floril. 17, 23, 24 (I, 282, M.).
8) V, 1127 seqq.
9) Senec. de Otio Sap. 30.

quo mage plurima habemus, tam magis ardescit dira cuppedine pectus" [1]). Scite id explicat poeta: „nam cibus atque umor membris adsumitur intus; quae quoniam certas possunt obsidere partis, hoc facile expletur laticum frugumque cupido: ex hominis vero facie pulchroque colore nil datur in corpus praeter simulacra fruendum tenuia; quae mentem spes raptat saepe misella". Sed quamquam amoris mala et curae sunt fugienda, tamen „Veneris fructu (non) caret is qui vitat amorem, sed potius quae sunt sine poena commoda sumit, nam certe purast sanis magis inde voluptas quam miseris" [2]). Multa Epicuro sunt obiecta propter lasciviam et dissolutos mores, quos probasse dicitur: ex altera parte Epicuri verba proferri possunt, quae summam abstinentiam commendare videntur [3]). Non tamen dubito, quin Lucretius optime magistri opinionem reddiderit, cui placuit: *οὐκ ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφόν* [4]), etsi poetae ardor, cum ex intimo corde loquatur, longe Epicuri ieiunitatem superat.

Ex eodem de fine bonorum principio, „quo tendimus omnes" [5]), etsi alienas saepe init vias vulgus, explicari debet legum et civitatum origo. Cum erudiri coeperunt homines, narrat Lucretius, „pecus atque agros divisere atque dedere pro facie cuiusque et viribus ingenioque" [6]). „At claros homines voluerunt se atque potentes, ut fundamento stabili fortuna maneret et placidam possent opulenti degere vitam, ne quiquam, quoniam ad summum succedere honorem certantes iter infestum fecere viai, et tamen e summo, quasi fulmen, deicit ictos invidia interdum contemptim in Tartara taetra" [7]). Nobiles et reges occisi sunt et turbata iacebat tota respublica. Inde exortus est novus rerum status: „magistratum partim docuere creare, iuraque constituere, ut vel-

---

1) IV, 1089.

2) IV, 1073.

3) Stob. Floril. p. 282. *'Επίκουρος ἐρωτηθεὶς πότε δεῖ προςομιλεῖν γυναικί, ἔφη, ὅταν σαυτὸν ἀσθενέστερον θέλῃς γενέσθαι.*

4) D. L. X, 118.

5) VI, 26.

6) V, 1110 seqq.

7) V, 1120 seqq.

lent legibus uti". Fundamentum iuris sunt communia foedera pacis [1]). Cum metum deorum sustulerit poeta, facile videri posset nullam reliquisse vim, quae sceleratos continere possit et spem iis eripere fore ut semper scelera lateant et poenae non sequantur. Attamen „metus maculat poenarum praemia vitae. Circumretit enim vis atque iniuria quemque, atque unde exortast, ad eum plerumque revertit, nec facilest placidam ac pacatam degere vitam qui violat factis communia foedera pacis: etsi fallit enim divom genus humanumque, perpetuo tamen id fore clam diffidere debet; quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes aut morbo delirantes protraxe ferantur et celata mala in medium et peccata dedisse" [2]). Idem Epicurus: *τὸ τῆς φύσεως δίκαιον ἔστι σύμβολον τοῦ συμφέροντος εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους μηδὲ βλάπτεσθαι . . . οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη, ἀλλ' ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς, καθ' ὁπηλίκους δήποτ' ἀεὶ τόπους συνθήκη τις ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι. Ἡ ἀδικία οὐ καθ' ἑαυτὴν κακόν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ εἰ μὴ λήσει τοὺς ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς. Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι, πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ· μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ καὶ λήσει* [3]).

Haec sunt fere quae de Lucretii morali doctrina dicenda videbantur. Pauca tantum sunt, quae ex magistri ethicis in opus suum inseruit, sed ea gravia, ita ut totam illius mentem exprimant. Epicuri moralis doctrina poetae quasi erat refugium, quo religionis timores penetrare non poterant, cum physica aditus munitos teneret. Sic pace fruebatur, quam animus superstitione turbatus sitiebat.

---

[1]) V, 1155.
[2]) V, 1151 seqq.
[3]) D. L. X, 150, 151.

EPILOGUS.

Aliter philosophus res contemplatur, aliter poeta. Ille ante omnia veritatem inquirendam putat, hic autem quae ipsum commovent canit. Ille multis experimentis adhibitis iustis ratiocinationibus rerum naturam cognoscere cupit: omnia dissolvit ut modum quo cohaereant res videat, quomodo mentem suam res afficiant non quaerit, sed potissimum investigare studet, quales sint res per se. Poeta autem mundi imaginem describit, qualem mente sua percepit, quasi intuitu omnia uno tempore perlustrat. Intellegentia in philosopho, sensus in poeta dominatur. Inde aliam rationem in rebus scribendis philosophus sequitur quam poeta. Ille, cum logica arte ducatur, minus est liber in rebus exponendis: hae ipsae ei viam quasi praescribunt. Poetae autem, cum audientium animos commovere iisque persuadere propositum habeat, res sic licet ordinare, ut quam aptissime attingat, quod sibi assequendum statuerit. Id tamen convenit inter utrumque, quod ob singula totum non neglegunt, sed perpetuum rerum inter se vinculum mente tenent, quod unius horae statu non capiuntur, sed quae durant et stabilia sunt contemplantur. Quo factum est ut antiquis temporibus philosophi essent poetae et poetae philosophi. Deinde tamen cum Socratis et sophistarum dialectica ars intellegentiam exacuisset, cum alter alterius doctrina doctus quaestionum solvendarum copiam auxisset, philosophia et poesis plane discesserunt. Ex inquisitione nostra hoc quidem apparuit Lucretium in philosophia nihil praestitisse, quo sui iuris philosophus dici queat, vel „ipso magistro discipulus maior et laude

dignior philosophus exstitisse". Reisack. Q. L. p. 37. A magistri via conscius non aberrasse videtur, vestigia eius ut omnes fere Epicuri discipuli [1]), summa cum pietate pressit, et tamen etiam si omnia magistri opera aetatem tulissent, Lucretii carmen dignum esset quod iterum atque iterum legeretur.

Sed antequam id ostendamus, eorum est opinio refellenda, qui poetam magistri doctrinam commutasse contendunt. Inter eos primum occupat locum Ritterus [2]). In iis locis, ubi poeta ab Epicuri doctrina discessisse dicitur, poetico ingenio eum ductum esse putat Ritterus. Itaque contendit poetam „ita Naturam describere, ut eam tamquam vim unam omnia in se complectentem et ad concordiam et consensionem singula quaeque conciliantem et componentem habere videatur". Lucretii Naturam quasi vivere et animatam esse dicit, cum Epicuri Natura tamquam morte teneatur [3]). Exempla, quae affert, omnia sunt eiusmodi, ut minime apta nobis videantur, quae Ritteri sententiam probent, cum Epicurum idem prorsus docuisse supra ostenderimus. Ut unum et hoc gravissimum afferamus: eo apparere Ritterus putat Lucretium naturam tamquam animantem habuisse, quod eorum opinionem non oppugnet, qui astra quasi animalia suum cibum sibi quaerentia esse contendant. At in libro V (pag. 121) ostendimus quatenus poeta cum magistro consentiat. Quod si legeris, facile concedes ex eiusmodi metaphoris nihil effici posse, praesertim cum apud Epicurum non minus temerarias inveniamus: ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτῶν πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι [4]). — Χάρις τῇ μακα-

---

1) Cf. Untersuch. zu Cicero's philosophischen Schriften von Rudolf Hirzel, 1 Th., p. 98 seqq.

2) Geschichte der Philosophie von Dr. Heinrich Ritter. Vierter Theil, 2e Aufl., pag. 89 seqq.

3) Pag. 94. „Dies zeigt sich besonders darin, dass die Natur und ihre Bestandtheile im Allgemeinen theils auf eine viel lebendigere, theils auf eine mannigfaltigere Weise von Lucretius geschildert werden, als es die todte und einförmige Physik der Epikureer zu verstatten schien. — Pag. 95: alles dies Vorstellungsweisen, welche den todten Massen der epikurischen Welt einen Anschein des Lebens mittheilen.

4) D. L. X, 75.

ρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα ἐποίησεν εὐπόριστα, τὰ δὲ δυσπόριστα οὐκ ἀναγκαῖα [1]). Sic etiam multi illi loci, quibus nomine deorum naturae vires Lucretius celebrat, imprimis clarissima et pulcherrima illa Veneris invocatio initio libri primi [2]), nihil continent, quod cum Epicuri mente non conveniat. Praeterea poeta cavit ne in errores eae metaphorae ducere possent, cum saepius quî sint intellegendae ipse indicavit. Cf. IV, 1058; V, 821.

Praeterea Ritterus hanc ob causam Lucretium laude digniorem esse vult quam Epicurum, quia magis naturae phaenomena firmis rationibus legibusque teneri doceat [3]). At Rittero argumentum quaerenti fortuna non arrisit. Hoc enim profert. In phaenomenis explicandis Rittero iudice quam maxime vitavit poeta casum fortunamque inducere, quin etiam ipsam humanam voluntatem certis causis definiri et moveri docuit. Supra pag. 99, 100 vidimus id verum esse, sed simul ex ipsis Epicuri scriptis demonstravimus magistrum idem fecisse et discipulum non laude sed vituperatione potius dignum esse, cum media in controversia nos reliquerit, quam magister evitare vel solvere conatus sit. Quae reliqua discrimina Ritterus se eruisse putat, cum superiorum gravitatem non superent, praeterire nobis liceat, ut quatenus Empedoclis doctrina Epicuri philosophiam Lucretio interprete immutarit, investigemus. Eorum turba, qui id affirmant, non admodum est parva, inter quos numerandi: Friesius [4]), Ritterus [5]), Karstenius [6]), Reisackerus [7]), Hallier [8]), Baestlein [9]). Omnes quosdam locos notant, quibus Lucretius, Empedoclem secutus, ab Epi-

---

[1]) Stob. Floril. I, 281.

[2]) Mira est congruentia vs. 22: „nec sine te (Venere) quicquam dias in luminis oras exoritur", cum hoc Schilleri versu: „Ohne Liebe kehrt kein Frühling wieder".

[3]) Pag. 97: Hierin scheint er überhaupt vom Epikuros nicht unvortheilhaft sich zu unterscheiden, dass er das Gesetzmässige in der Entwicklung der Naturerscheinungen fester zu halten strebt.

[4]) Geschichte der Philosophie. Halle 1837, vol. 1, p. 209.

[5]) L. l. p. 98.

[6]) Empedoclis Agrigentini carminum reliquiae. Amstelodami Müller, 1838.

[7]) Quaest. Lucret. p. 43.

[8]) Lucreti Carmina e fragmentis Empedoclis adumbrata. Jenae 1857.

[9]) Quid debeat Lucretius Empedocli Agrigentino. S. l. et a.

curi mente decessisse dicitur. Plerosque tamen, si recte videmus, hoc fefellit, quod Lucretium cum Empedocle comparant, antequam accuratam collationem Lucretiani carminis cum Epicuri scriptorum reliquiis instituerint, quo factum est ut congruentiam quandam animadverterint inter duos illos poetas, non tamen perspexerint poetam haec Empedoclea dicta ex Epicuri scriptis haurire potuisse, quem Agrigentini scripta legisse omnes facile concedunt. Nobis igitur investigandum est, num in Lucretii carmine certa indicia inveniantur, e quibus cum evidentia appareat eum Empedocleae philosophiae plus operae dedisse, quam quatenus ex Epicuri scriptis eam sumere potuerit.

In libro I, vs. 716—33 Lucretius elatis pulcrisque versibus laudes canit divi Empedoclis, quos versus Müllachius adhibet ut probet, „neminem inter priores divinarum humanorumque rerum magistros magis Agrigentinum vatem admiratum atque in argumento quamvis dissimili secutum esse, quam T. Lucretium Carum" [1]). Attamen, quid, quaeso, continent hi versus, unde merito concludere possis poetam Empedoclem non fama sola verum etiam scriptis nosse? Continentne ullum factum, quod lippis et tonsoribus non notum fuerit? Ipse Agrigentinus cecinit: *χαίρετ' ἐγὼ δ' ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός* [2]), sed hoc dictum nonne erat pervulgatum? [3]). Lucretiani versus Empedoclem tantam depingunt, qualem fama et admiratio quasi per manus tradita eum laudabant. Praeterea post tantam laudem exspectas poetam germanam Empedoclis doctrinam relaturum esse, quod tamen omittens eam ita cum aliorum doctrinis coniungit, ut singulas discernere non possis. Quin etiam e vss. 753 seqq. patet eum ne inspexisse quidem libros, qui doctrinam, quam refellit, continent. An putas fore ut scripsisset, „huc accedit utei, quoniam primordia rerum mollia constituunt, quae nos nativa videmus esse et mortali cum corpore, funditus usque debeat ad nilum iam rerum summa reverti de niloque renata vigescere copia rerum", si apud Empedoclem legisset:

---

1) Fragm. phil. I, p. XIV.

2) D. L. VIII, 62.

3) Zeller, I, 678, not. 1.

Καὶ πρὸς τοῖς οὔτ' ἄλλο τι γίγνεται οὐδ' ἀπολήγει

— — — — — — — — — — — — — — —

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω · φύσις οὐδενός ἐστιν ἁπάντων
θνητῶν, οὐδέ τις οὐλομένου θανάτοιο τελευτή,
ἀλλὰ μόνον μῖξίς τε διάλλαξίς τε μιγέντων
ἐστί, φύσις δ' ἐπὶ τοῖς ὀνομάζεται ἀνθρώποισιν ·
ἐκ τοῦ γὰρ μὴ ἐόντος ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι,
τό τ' ἐὸν ἐξόλλυσθαι ἀνήνυστον καὶ ἄπρηκτον [1]).

Luce est clarius, ni fallimur, Lucretium hic quoque Epicurum secutum, breviter omnia comprehendisse, quae ille contra adversarios vacuum negantes scripserit. Idem ostendimus pag. 138 de vs. 786 seqq. e libro V, qui a Munroo [2]) ad Empedoclem potissimum referuntur. Quam temere interdum agant in Empedocleis cum Lucretianis versibus comparandis inde vides quod II, 1112 seqq. conferuntur cum Empedoclis 273, 74, 378, 79 [3]), a Munroo, ut unum afferam. Et tamen nihil omnino habent commune praeter sonitum vocabulorum. Empedocles narrans, quî mundus ex elementis coaluerit, dicit: πυρὶ δ' αὐξάνεται πῦρ, αὔξει δὲ χθὼν μὲν σφέτερον δέμας, αἰθέρα δ' αἰθήρ. Lucretius item describens quî mundus post „tempus genitale" creverit, hos versus addit: „nam sua cuique, locis ex omnibus, omnia plagis corpora distribuuntur et ad sua saecla recedunt, umor ad umorem, terreno corpore terra crescit, et ignem ignes procudunt aëraque aër." *Formam* respicienti similes videri possunt hi versus, sed Munrous putat eos *re* inter se congruere [4]), quod quî doctus et sagax vir contendere possit non intellego. Primum enim aqua, ignis, terra, aer non eadem sunt utrique poetae. Empedocli sunt elementa rerum, Lucretio sunt complexiones atomorum. Deinde apud Empedoclem conveniunt, quia mutuo sese amant, ὁμοιωθέντ' Ἀφροδίτῃ (266): eiusmodi principium

---

[1]) Empedoclis Carmina edidit Müll. vs. 92, 98—103.

[2]) Ad V, 783.

[3]) Ex edit. Müll.

[4]) Non iisdem verbis hoc dicit, cum vero putet versus laudatos convenire cum Emp. 273, 74, quod tamen ad formam attineat potius cum 378, 79, concludo illum putare priores versus re inter se convenire.

autem Lucretius inducere non potest, apud eum secundum gravitatis rationem eiusdem generis atomi confluunt, ut pagina 114 ostendimus. Omnino igitur versus laudati discrepant re et similitudo formae est fortuita. Vs. 378 seqq. etiam minus sunt apti, qui conferantur, cum ad doctrinam de rerum cognitione referri debeant: γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ cett.

Ritterus IV, pag. 98 censet Lucretium Empedoclis sequi sententiam V, 837 seqq. narrantem quî animalia prima nata sint e terra, imprimis autem monstra et portenta. Sed pag. 141 demonstravimus hunc locum optime cum Epicuri verbis in Epist. ad Herod. 75, convenire. Quodsi in brevi hac epistola hanc rem iam attigit et principium naturae in primis animalibus procreandis adhibitum exposuit, non dubium est eum in libris 37 περὶ φύσεως amplius de hoc loco exposuisse et Lucretium ex iis hausisse, praesertim cum neque 837 seqq., ubi cum Empedocle congruit, neque 878 seqq., ubi eum oppugnat, eum nomine indicarit.

Merito Langius [1]) laudat elatam cogitationem eorum, qui totum mundum omniaque, quae continet, omnibus causis finalibus, quae dicuntur, omissis, ex atomorum solo motu explicare conantur, ut Empedocles, Epicurus, Lucretius fecerunt. Cave tamen ne casu et forte fortuna atomos eas complexiones iniisse putes, si quidem vulgarem sensum iis vocabulis attribuis. Nam hoc tantum casu factum est, ut rerum primordia incerto tempore incertisque loci spatiis a recta linea declinasse coeperint itaque fati foedera ruperint. Cum autem semel ita se moverent, ut collidi possent, eos congressus tandem atomi connectere debuerunt, quibus hic mundus viget, nam infinito spatio infinitaque tempore semel positis, omnes, quae cogitari possunt, complexiones atomorum reapse fieri debent. At inter has complexiones „possibiles" haec una est, quae ita atomos iunxit, ut omnes res omnesque motus, quae in hac natura miramur, efficere debeat: haec igitur aliquando fieri debebat. Idem principium, quod fieri possit, id revera fieri debere, ubique per totam naturam

[1]) Gesch. des Mater. pag. 107.

cognosci potest, si quomodo omnia exstiterint inquiris. Ergo in hoc mundo sunt quae „foedera naturae" appellat Lucretius, quae vigent donec res in suas atomos dissolvantur, in mundi conformatione autem eiusmodi foedera deerant. Haec doctrina Empedoclem auctorem habuit. „Inerat enim, in ipsis elementis vitalis vis, quae sponte sua effecit, ut variae animantes variaque corpora principio exsisterent, non ob utilitatem aliquam nec certo consilio condita et formata, sed ultro ac naturali quodam instinctu, prouti variae elementorum partes variis modis inter se concurrerent, ὅπῃ συνέκυρσεν ἕκαστα [1])." Lucretius autem distinctius et accuratius eam exposuit I, 1021—1034; IV, 822—876; V, 783—925. Inde tamen non sequitur eum suo marte Empedocli studuisse. Quod si fecisset mirum esset eum numquam Empedoclem auctorem suum laudasse, praesertim cum tantae et tam graves sint partes totius doctrinae, quas mutuatus esse dicitur. Praeterea quid obstat, quominus statuamus poetam Epicurum solum secutum esse, cui haec doctrina imprimis contra Aristotelem defendenda erat? Eum id revera fecisse facile vides ex D. L. X, 75: *ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτῶν πραγμάτων διδαχθῆναί τε καὶ ἀναγκασθῆναι· τὸν δὲ λογισμὸν τὰ ὑπὸ ταύτης παρεγγυηθέντα καὶ ὕστερον ἐπακριβοῦν καὶ προςεξευρίσκειν*, cett. Cur igitur discipulum aliunde sumpsisse quod ipse magister ei afferret, putares?

Hactenus de iis quae re, non forma Lucretius ex Empedocle sumpsisse dicitur. Hoc quidem speramus fore ut cuique pateat, quod ad ipsam philosophiam pertineat, nihil poetam ad doctrinam Epicuri addidisse vel in ea mutasse et quae aliorum philosophorum placita afferat, ex ipsius Epicuri magna copia scriptorum ea hauriri potuisse. Quod si constat, nolumus tamen negare multa e Graecis poetis sumpta esse ad carmen exornandum, ad orationis lumina afferenda, quae tamen hic nobis non sunt enumeranda [2]). Etiam Empedocli eiusmodi pauca poetam debere, etsi difficile

---

[1]) Karsten, pag. 413. cf. 359. Lange I, p. 24, 107.

[2]) Cf. Munroi editionem, qui accurate eos locos contulit et Reisacker, in Quaest. Lucret.

est ad demonstrandum, tamen plane negari non potest. Sed pauca tantum. Qui enim loci ad hanc formalem, ut hoc vocabulo utar, similitudinem indicandam a multis laudantur, plerique aut casu quodam pares videntur, aut similitudo longe est repetita et acutis tantum oculis perspicua. Cum autem Empedoclis carmen multa contineat, quae poetam, ut ea imitaretur, stimulare debebant, in quibus Lucretius Agrigentinum non aemulatus est, probabile est ea, quae aliquam speciem similitudinis habeant non tam ex ipso Empedocle sumta esse, quam ex Epicuro, qui, Sexto teste, *φωρᾶται τὰ κράτιστα τῶν δογμάτων παρὰ ποιητῶν ἀνηρπακώς* [1]). In re incerta probabilitatem sequi convenit.

Ad hanc conclusionem igitur investigatio nostra nos duxit, ut, quatenus evidentiam in huiusmodi quaestionibus consequi possumus, constet, Lucretium philosopham doctrinam exponentem Epicurum solum secutum esse, optima cum fide etsi non semper accurate. Nam hoc quoque apparuit, poetam, quamvis non prorsus philosophi ingenio destitutum, tamen vix philosophi nomine dignum esse. Magistri placita interdum non intellexit eoque perverse interpretatus est (cf. pag. 129); interdum etiam certamen fuit inter philosophi et poetae ingenium, quod tamen hunc semper exitum habuit, ut poeta praemium auferret (cf. p. 121). At ipse poeta philosophi honorem et gloriam sibi non vindicat, sed vinculum, quod cum Epicuro eum iungit pulcre ipse canit. „Te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc ficta pedum pono pressis vestigia signis, non ita certandi cupidus quam propter amorem quod te imitari aveo: quid enim contendat hirundo cycnis, aut quid nam tremulis facere artubus haedi consimile in cursu possint et fortis equi vis? Tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis, floriferis ut apes in saltibus omnia libant, omnia nos itidem depascimur aurea dicta, aurea, perpetua semper dignissima vita" [2]). Antiquorum testimonia idem confirmant. Laudavimus iam Lactantium dicentem „Epicuri enim sunt omnia quae delirat Lucretius." De Lucretio porro confir-

---

[1]) Sext. Emp. adv. Gramm. I, 13, 275.

[2]) III, vs. 3—13. cf. V, 55.

mari potest id, quod Numenius Platonicus philosophus de universis Epicureis scripsit: *ὑπῆρξέ τε ἐκ τοῦ ἐπὶ πλεῖστον τοῖς μετέπειτα Ἐπικουρείοις, μηδ' αὐτοῖς εἰπεῖν πω ἐναντίον οὔτε ἀλλήλοις οὔτε Ἐπικούρῳ μηδὲν εἰς μηδέν, ὅτου καὶ μνησθῆναι ἄξιον: ἀλλ' ἔστιν αὐτοῖς παρανόμημα, μᾶλλον δὲ ἀσέβημα, καὶ κατέγνωσται τὸ καινοτομηθέν* [1]. Multi iam viri docti investigarunt, quibus tandem causis factum sit, ut omnes Epicurei tanta cum fide magistrum secuti sint eiusque doctrinam immutatam tradiderint. Sunt qui putent id factum esse propter ipsius morientis Epicuri testamentum, quem dicunt *τοῖς φίλοις παραγγείλαντα τῶν δογμάτων μεμνῆσθαι, οὕτω τελευτῆσαι* [2]. Sed difficile non est ad intellegendum eiusmodi praeceptum nullam habere vim, nisi summa pietate discipuli talem magistrum venerentur. Alii ergo in hac erga magistrum pietate causam doctrinae stabilitatis invenerunt. Et revera etiam Lucretius sancte tamquam deum veneratur Epicurum: „nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum, dicendum est, deus ille fuit, deus, inclyte Memmi, qui princeps vitae rationem invenit eam, quae nunc appellatur sapientia" [3], et qui ipse dixit sapientem vivere *ὡς θεὸν ἐν ἀνθρώποις* [4]. — At haec pietas rursus est consentanea alii causae, quae in ipsa doctrina quaerenda est. Doctrinae stabilitatis ipsa doctrina erat causa, quae, cum sensibus solis tribueret veritatem et constanter hoc principium persequeretur, summam evidentiam peperit. Epicurus plurima et gravissima debuit dogmata illustrissimo antiquitatis physico Democrito [5]) et haec placita, nisi nostrae aetatis instrumenta et experimenta tacitus tamquam antiquis temporibus nota sumas, qui putes refutari posse? In meteoris tantum explicandis discipuli a magistro non tenebantur, si modo divinam naturam ad haec non admoverent. Ergo physica Epicuri mutari a discipulis non poterant, nam etiam ea, quibus

---

[1]) Euseb. praep. ed. XIV, 5, apud Hirzel, Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften, p. 100.

[2]) D. L. X, 16.

[3]) V, vs. 7 seqq.

[4]) D. L. X, 135.

[5]) Cf. Hirzel l. l.

a Democrito discrepabat, etsi constantius semper hic ratiocinatur, tamen quoniam cum Epicuri ethicis principiis cohaerebant, stabilia esse debebant. Sic, ut hoc utar, declinatio atomorum ab Epicuro inventa, quomodo libera nos utamur voluntate explicare debuit, quod placitum inter gravissima totius ethices Epicureae exstabat. Itaque ipsa doctrina fines praescripsit, quos transgredi non licuit: quae certa aut incerta essent, accurate erat indicatum. In scholam Epicureorum hoc saepe iteratum Lucretii dictum quadrat: „quodcumque suis mutatum finibus exit, statim id mors est illius quod fuit ante": qui magistri principiis, animi tranquillitatem summum esse bonum, naturam omnia ex atomis construxisse diis expertem, sensus solos quid verum sit diiudicare, non assentiebatur a schola excludebatur, qui ea probabat, reliqua negare non poterat. Ipse Epicurus constantiam eam consequentem esse doctrinae evidentiae credidit, quin etiam cum hominum corporis statu, ergo cum atomorum forma et „positura" eam coniunxît. Ἀλλὰ καὶ τὸν ἅπαξ γενόμενον σοφὸν μηκέτι τὴν ἐναντίαν λαμβάνειν διάθεσιν μηδὲ πλάττειν ἑκόντα · πάθεσι μᾶλλον συσχεθήσεσθαι · οὐκ ἂν ἐμποδίσαι πρὸς τὴν σοφίαν · οὐδὲ μὴν ἐκ πάσης σώματος ἕξεως σοφὸν γενέσθαι ἂν οὐδ' ἐν παντὶ ἔθνει [1]). Sapientem dixit δογματιεῖν τε καὶ οὐκ ἀπορήσειν [2]).

Denique restat ut paucis quae sint Lucretii carminum merita narremus, ne forte putes nos eum opus supervacaneum scripsisse censere. Lucretius est poeta Poesin autem ut ceteras artes Epicurus non magni duxisse videtur, cum eam puerilem delectationem vocaret et potius voluptatis quam utilitatis causa exercendam [3]). Lucretius ut fidelis magistri discipulus, idem confirmare audet, cum IV vs. 10 seqq. canat se poetica forma uti vel „musaeo dulci contingere melle" rationem, plerumque quae videatur tristior esse, ut, quemadmodum medici pueris amara medicamenta „contingant mellis dulci flavoque liquore ut puerorum aetas improvida ludificetur", sic quoque pulcra poetica forma aridam et multis iniucundam doctrinam exornet. Laudemus ta-

[1]) D. L. X, 117.
[2]) D. L. X, 121.
[3]) Cic. de Fin. I. Plut. Non posse suav. vivi cett. D. L. X, 120.

men naturam, quae poetae animi impetum philosophis praeceptis comprimi noluerit. Poetae ardens et fervens ingenium saepe mediis in languidis placitis exponendis subito prorumpit. Quod autem imprimis legentis animum corripit est vehementia, qua veterem religionem impugnat suamque doctrinam defendit. Hoc certamen contra deos hominum cervicibus quasi onus impositos est vinculum, quod omnes carminis partes coniungit, est centrum e quo omnes radii ad circuitum ducunt. Haec superstitionis pugna eloquentem eum reddit, ita ut Suadam in labris eius sedem habere dicas, nam ipse quondam iis vinculis erat ligatus, a quibus alios liberare cupit. Graves vehementesque debent dolores et angores hunc animum vexasse et turbasse, antequam Epicuri *ἀταραξία* ei contingeret, antequam exclamare posset: „nos exaequat victoria caelo." Tum noctes vigilavit serenas [1]) quin etiam in somnis hoc egit ut naturam quaereret rerum [2]) et inventam versibus exponeret. „Floriferis ut apes in saltibus omnia libant [3]), sic diu dulcique conquisivit labore [4]) ex multis Epicuri scriptis ea, quae ad tranquillitatem homini reddendam essent apta. Omnia, quae huc referri non poterant, omisit poeta. Cum autem certo consilio quae ad suum propositum assequendum essent apta selegerit, commune vinculum hisce partibus deesse non poterat. In universum dispositio carminis poetae est, quamquam in singulis phaenomenis explicandis ordinem, quem Epicurus praebuit, interdum servavit. Congruens cum gravitate operis est oratio poetae, gravis et elata, multis luminibus illustrata, comparationibus exornata, quarum pleraeque ab ipso Lucretio inventae videntur [5]), etsi non desunt, quae ab Epicuro originem ducant [6]). Omnibus denique perpensis gaudeamus cum ex Epicureorum scriptorum naufragio hoc unum fere integrum discipuli opus ad nos pervenerit, dum magistri languida et garrula et iniucunda scripta interierunt.

---

[1]) I, 142.

[2]) IV, 965, 69.

[3]) III, 11.

[4]) III, 419.

[5]) III, 833, 1025, 1034; V, 1303. Huc refero multas e Graecis poetis sumptas imagines.

[6]) Cf. I, 739; V, 111 et Cic. de Nat. deor. II, 1015 seqq.; V, 540.

THESES.

I.

Langium (Gesch. des Material.) defendo contra Briegerum scribentem: „Wenn Lange ... behauptet, das Weltganze müsse gleich allen Atomen fallend gedacht werden, so spricht kein Wort Epikur's oder eines Epikureërs dafür, wenn man von dem von Munro vertheidigten *inferna*, I, 996 absieht, und die Ergänzung der Welt durch fallende Atome wäre, wenn die Welt selbst fiele, unmöglich. In diesem Punkte hat Zeller, Philosophie der Griechen II, 1, S. 382 Recht, Lange Unrecht"

Bursian Jahresbericht, 1er Jhg. pag. 1132.

II.

Falluntur Lachmannus ot Munrous putantes Lucretiani carminis librum primum ab auctore perfectum et elaboratum esse. Cf. Lachm. Comm. pag. 62: „Lucretium — — — inter expoliendum poema suum, *primo tantum libro absoluto*, decessisse," cett.

Munr. pag. 302: „The two first books appear to be finished and to have received almost the last touches of the author with the exception perhaps of certain portions of the second."

III.

Lucr. II vs. 601 pro *sedibus in curru* lege *sistentem in curru*, ut vs. 601 insequatur versum 600.

IV.

Lucr. II vs. 730—56. Versuum hunc conicio ordinem esse: 730—38, 749—56, 739—47. Versus 748 delendus est.

V.

Lucr. III vs. 615—23:

Post versum 617 versus unus excidit, tum sequebantur 620, 21, deinde 618, 19, 22, 23.

VI.

Nulla est causa cur Marthae (le Poëme de Lucrèce pag. 208) assentiamur statuenti de Lucr. IV: 1141 seqq.: „Les mots grecs qui émaillent le texte latin — — peuvent être regardés comme des vestiges ou des débris de quelque poëme attique.

VII.

Lucr. VI vs. 697, 98:

„hac ire fatendumst
et penetrare mari penitus res cogit aperto"

legatur:

„hac ire fatendumst
et penetrare mari *venti vim concitam* aperto
atque efflare foras, cett.

VIII.

Diog. Laert X, 63: οὕτω γὰρ ἡ βεβαιοτάτη πίστις ἔσται, ὅτι ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερές, παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον, προςεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι, καὶ πῆ μὲν τούτῳ προςεμφερές, πῆ δ' ἐκείνῳ. ἔστι δὲ τὸ μέρος πολλὴν παραλλαγὴν εἰληφὸς τῇ λεπτομερείᾳ καὶ αὐτῶν τούτων, συμπαθὲς δὲ τούτῳ μᾶλλον καὶ τῷ λοιπῷ ἀθροίσματι.

Lege: προςεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι καὶ ἀέρος πῆ μὲν τούτῳ προςεμφεροῦς πῆ δ' ἐκείνῳ. ἔστι δέ τι μέρος κ. τ. λ.

IX.

Epicuri Rat. Sent. XXIII (edit. Cobet.): τὸ ὑφεστηκὸς δεῖ τέλος λογίζεσθαι καὶ πᾶσαν τὴν ἐνάργειαν, ἐφ' ἣν τὰ δοξαζόμενα ἀνάγομεν· εἰ δὲ μή, πάντ' ἀκρισίας καὶ ταραχῆς ἔσται μεστά.

Dele τέλος. Lege: κατὰ πᾶσαν — — ἀνάξομεν — —.

X.

Merito Epicurei τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσιν.

(Diog. Laert. X, 31.)

XI.

Dialogus de Oratoribus Tacitum auctorem habere non potest.

XII.

Thucydides in exemplis ἀκρισίας, quae profert I. 20, 22, oblique Herodotum carpit.

XIII.

Liber VIII ab ipso Thucydide est conscriptus et perfectus.

XIV.

Wat van Cato Censorius verhaald wordt (Quint. XII, 11, 23) als zou hij nog als grijsaard de Grieksche taal hebben geleerd, moet men zoo opvatten, dat hij zich toen nog met ijver en inspanning op eene meer grondige kennis dier taal heeft toegelegd.

XV.

Het spreekwoord, dat bij Festus (334 M.) en anderen gevonden wordt, *sexagenarios de ponte*, heeft betrekking op de grijsaards, die wegens hunnen ouderdom van de last om over de bruggen in de ovilia te gaan waren vrijgesteld; in 't algemeen beteekent het, dat men tegenover oude lieden toegefelijk moet zijn. Het heeft niets te maken met de vereering der Argei.

XVI.

Rome is zijne grootheid aan de plebeiers verschuldigd.

XVII.

In Aegypte bestonden geen kasten.

XVIII.

Socrates mag niet tot de sophisten gerekend worden.

XIX.

De beginselen der logica hadden bij de wet op het Hooger Onderwijs (Art. 5) onder de leervakken der gymnasia moeten worden opgenomen.

XX.

't Is eene groote fout van Spinoza dat hij in zijne Ethica de methode der mathematici volgt.

XXI.

De Acte van Seclusie is schadelijk geweest voor de belangen van het land.

XXII.

Kinker heeft gelijk, wanneer hij met Huydecoper niet aanneemt, dat ten opzichte van talen de regel geldt: „hoe verder van den oorsprong, hoe nader bij het bederf."

XXIII.

Zij, die meenen dat Maerlant in den Sp. Hist. 1ste part., 1ste boek, vs. 1—18 *werelt* heeft afgeleid van het werkwoord *werren*, zijn in strijd met Maerlants eigen woorden.

XXIV.

In den Karel de Gr. (Lorr.) fragm. I, vs. 394 is „daden 't beide doen" zooveel als *deden 't beide*, in fr. II, vs. 1800 daarentegen „dede hi varen doen" is *doen* = *toen*.